
Ad Serenissimum regem Poloniae Sigismundum



Praso 300.



AD SERE-
NISSIMVM ET IN-
CLYTVM REGEM PO-
LONIÆ SIGISMVN-
DVM AVGVSTVM LA-
SCIVS SIVE DE POE-
NA HOMICIDII, AN-
DREA FRICIO
MODREVIO
AVTHO-
RE.





AD SERENIS. ET INCLYTVM REGEM POLONIÆ, MAGNVM LITHVANIAE DVCEM, RVSSIAE PRVSSIAE MASOVIAEQVE DOMINVM ET HAEREDEM, SIGISMVNDVM AVGVSTVM SIGISMVNDI PRIMI REGIS FILIVM, ANDREAE FRICII MODREVII, IN LASCIVM SIVE ORATIONEM DE POENA HOMICIDII, PRAEFATIO.

PEtenti ædilitatem P. Cornelio Scipioni admodum adoleſcenti in urbe Roma: quam olim potitam rerum non ignoras Sigiſmunde Rex ferè imperaſſe orbi: impedimento erant Tribuni plebis, quòd nondum eſſet legitima ætate magiſtratibus gerendis & Reipub. capeſſendæ. Verùm adoleſcens ille ut erat natura ad omnem excellẽtiam factus, effeat magno ſanè & rerum optimarum ſpei pleno animo ut ad unam tribus omnes ſe ædilẽ eſſe iuberent. Conuerterat ſalicet oculos uniuerſi popu-

li & ora in se Sapio uel meritis maiorum suorum: quæ illorum summa in Rempu. & recentia extabant, uel sua ipsius indole præclara, peridoneaq; ad ea gerenda, quæ honore ipso digna essent. Tibi uerò Sigismunde Auguste duodecim fermè annos nato regni huius amplißimi & harum ditionum fasces summo studio, magnoq; cunctorū ordinum consensu datæ sunt ac tributæ. Florebant tunc in hac Rep. sapientißimi & clarißimi uiri Ioannes Lascus: qui tum & sacrorū erat antistes summus, & primas in hac Repub. ferebat: Christophorus Schidlouiecius, Andreas Tanczinius: & multi præterea Senatores, quorum partim mortui sunt, partim adhuc uiuunt. Qui quidem omnes meritorum patris tui in Remp. cōmemoratione, uerborumq; & sententiarū pondere & grauitate, de te inaugurando summa & incredibili omniū ordinum uoluntate transegerunt. Putabant omnes rationem habendā esse patris & tui et patriæ huius uniuersæ. Volebant te quasi primogenitū eam cernere hæreditatē quā pater cōmunis omniū nostrū tenebat multos sanè annos, & uerò etiānum tenet summa cū authoritate. Valebat apud omnes memoria Reip. à patre sapienter administratæ: ualebant merita: ualebāt beneficia. Consignauimus hæc (loquar enim tanquàm una populorū omnium tuorū uoce) animis memoribus nostris, ad perpetuitatē. Est & ille in nobis ualidißimus tui respectus quòd in te extant quasi generosi seminarij meliores notæ. Fortes, inquit Poëta, creantur fortibus. Spe enim illa minimè dubia tene

bia tenemur omnes, fore ut te patre tuo dignum, administranda Rep. præstes: ut te, quemadmodum illum, uerè & ex uirtute patrem patriæ appellare poßimus. Non pœnitebat olim populum Roma. suffragia iniussce mandanda ædilitate Sapioni: quòd ille quàmuis adolescens, res tamen pro Rep. tantas geßit ut expectationem de se omnium non sustineret modò, sed longè superaret. Itaq; Romani monumentis omnis generis consecrarunt memoriam illius, & pòst de uirtute Africani cognomen illi fecerunt. Quamobrem tibi quoq; Rex omni cura, omniq; animi impetu in Remp. atq; in patrias uirtutes est incumbendum: ut te non modò in tantum regnum & tam amplas ditiones successorem uideamus: sed etiam in uirtutes paternas. Habes domi tuæ plurima exempla tibi proposita ad imitandum: eorum quidem, qui continuatis regijs honoribus apud nos perfuncti, tibi hūc ipsum honorem soboli suæ per manus tradiderunt. Horum tibi & bellicæ uirtutes & togatæ sunt exprimendæ, defigendi oculi atq; animus in exemplum hoc paternum præclaris uirtutibus cumulatum. Qui quidem pater tuus uerißimè te ad sui imitationem inuitare poßit ijsdem uerbis, quibus Ascaniū suū inuitabat Aeneas Virgilianus

Disce puer uirtutem ex me uerumq; laborem.

Et postea.


Tu facito mox cum matura adoleuerit ætas:
Sis memor & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater excitet, & seniorum regius ordo.

 Itaq;

Itaq; si exemplum patris cum ijs præceptis philosophiæ, quibus à puero operam nauasti, coniunxeris (ut certè coniungis) mirabiles profectò in te uirtutis amores non dubitem excitari. Vnde enim perfectiorem iustitiæ administrandæ rationem petas, unde fortitudinis in rebus arduis & difficilibus, unde moderationis animi, unde patientiæ in aduersis, unde constantiæ in duris & asperis rebus quàm ex patre hoc & tuo & patriæ huius cunctæ? quem ætas & rerum plurimarum usus erudiuit, & ad maximas res peragendas uerissimis præceptis & consilijs idoneis instruxit. Itaq; & bella eius auspicijs confecta uidimus multa: &, quod uirtute tanti principis est dignissimum, non pauca ab his ditionibus auersa. Nihil enim huic patri patriæ est antiquius quàm tranquilitati populorum suorum, quoties citra sanguinis effusionem licet, consulere: nullamq; nec pecuniarum nec rerum aliarum iacturam tanti faciat quàm populorum cœlitus fidei suæ commissorum ac creditorum. Sed tu hæc melius, ut spero, quotidie uides qui à patris latere ferè non discedas. Tu uerò magnum sanè, inter cætera, specimen uirtutis & indolis tuæ dedisti cùm annos fermè XVI. natus in conuentu ab hinc quinquennium Petricouiæ habito, de pœna homicidij id ex tempore dixisti, quòd nemo ab illa ætate expectaret. Narrabat id sæpe Erasmus Creticouius Senator, summus & spectatus uir, qui uocem illam tuam exceperat. Narrabat, inquàm, magna audientium, cum uoluptate. Nihil enim nobis uisum est aptius,

tius, Senatu ac Equitibus tanquàm fidibus discrepantibus, quàm uocem illam quasi mediam orationis tuæ apponere toti harmoniæ formandæ, temperandæ, & ad mediocritatem traducendæ. Enimuerò tuum est hoc ô Rex, ut sententijs distractis, ueluti acebus pugnantibus te medium inferas: offensiones tollas: discordiarum semina extirpes, quæ quamdiu extabunt, nulla firma concordia & diuturna extabit. Dixisti olim sententiam & adolescens & extra ordinem: nunc uerò à te & annorum accessione & rerum experientia aucto quid probi omnes & publicæ pacis amantes expectent, uides. Profectò te non decet ut in ulteriores conuentus tantam rem proferri patiare: quæ Reip. firmamentum & robur potissimum ab omnibus iudicatur. Fac igitur per Deum immortalem ut quemadmodum tu patriæ debes cuius gubernationi diuinitus sis delectus: sic illa uicissim tibi debeat, dum salutem tibi suam uiderit cordi esse. Nec unquã debes sperare aliquid præclari foris aut domi te peragere posse, nisi hoc fundamentum in Rep. tanquàm naui qua omnes uehamur tecum, posueris. Mihi quidem illud quòd plus quàm pro ætate, homicidij plectendi causa dixisti, de cœlò delapsum in animum tuum uidetur: uide igitur ne desis cœlesti instinctui. Sed tu orationem nostram legens facilè sententiam tuam recognosces. Ego quidem ea scribenda non putaui certè aliquid eximij ac splendidi à me præstari posse: Sed hac reuolui obseruãtiam in te meã & in Remp. declarare. Plura alij & potiora

tiora uel cognitione usuq; rerum uel elegantia uerborum maiore prædita, præstabunt: nos fecimus quod potuimus. Te uerò Rex & humanitas tua præstans hortatur, & benignitas regali genere digna, ut boni consulas offia-um nostrum: nec rem spectes ipsam, quæ admodum exilis tibi à me offertur: sed uoluntatem dantis egregiam, obseruantiamq; in te summam & sempiternam. Det tibi Dominus spiritum suum Rex inclyte & populis tuis ut & tu iustè ac sapienter regere et illi quod è Rep. fideq; sua sit rectè ac prolixè facere poßint. Vale. Calendis Ianuarijs. Anno à Christo nato. M. D. XLIII.





ANDREÆ FRICII MODREVII LASCIVS SIVE DE POENA HOMICIDII.

SI quis cũ animo suo veterem studiosorum morẽ erit recordatus, licuisse illis de re qualibet honestà in vtramuis partem disputare scribereq;: hunc opinor cum humanitate ac beneuolẽtia lecturum esse hęc cogitata nostra, quę de homicidij poena congessimus in hoc breue scriptum. Neq; ego profectò is sum qui putem me vel natura, vel doctrina, vel facultate dicendi tanta pręditum esse, quantã desideret hęc causa: agnosco enim me ab omni re esse imparatissimum: Sed cùm in causa honesta putarem honestè vnumquẽlibet versari, neq; conatum eius ob id iure reprehendi posse, sperabam etiã hoc meum scriptum sine offensione in manus hominum peruenturũ. Neq; despero fore aliquos maiore doctrina & dicendi elegantia instructos, qui exemplo nostri argumentum hoc vel nostra sentẽtia tutanda, vel contraria asserenda, longè splendidius ac maiore cũ fœlicitate sint tractaturi.

A Interea

Interea iuuabit nos dedisse alijs scribendi oc/
casionem. Hoc quidē dictum esto bonis &
moderatis viris; alijs porrò non aliud dicam
quàm licere eis prorsus non legere nostra. Vt
autem oratio ipsa plus authoritatis haberet,
nō eam tribuere visum est alicui è suggestu,
more eorum qui scholas habent, declamanti:
sed potius alicui sententiam in Senatu suo lo
co dicēti. Neq; id sanè alicui viuorū: animad
uerti enim hoc, nō libenter viuos pati, vt in
scenam veluti fabulam acturi producantur:
sed ei qui ex hac vita discedens, omnibus ma
leuolis atq; obtrectatoribus laudum suarum
valedixit Hieronymo Lascio Siradię Pala/
tino, summo & clarissimo viro, & in omni
dignitate principi. Cuius quidem intempe/
stiua morte, quantam fecerit iacturam resp.
Christiana, omnes intelligunt, qui pręsentes
calamitates, & sęuos horum temporū à Tur
cica immanitate excitatus fluctus oculis atq;
animo cernunt: simulq; viri illius magnā se/
dandis eiusmodi fluctibus atq; componēdis
prudētiam longo rerum vsu collectam. Eum
enim illum ego virum fuisse puto, qui omni/
bus imperatorijs artibus atq; disciplinis mira
biliter esset doctus. Nam quid illi laudis aut
glorię defuit artis militaris? quis vel animo,
vel con

vel consilio, vel vsu maiore in bellis admini/
strandis est versatus? quis vidit plures gentiū
mores & vrbes? quis cum tāta nationum va/
rietate tot tantasq; maximarū rerum habuit
deliberationes? Itaq; nemo mihi omniū quos
hęc tulit ętas ad Vlyssem illum πολύτροπον
propius accessisse visus est pręter Lascium,
Nam & illa consilia Vlyssis capiūdę Troię,
& arces Iliacę nocte intempesta intratę, et ꝑ/
quā difficilium rerum consilia inita atq; per/
fecta, & in tot tamq; diuturnis erroribus in/
numera pericula adita: instar mehercule mihi
habere videntur rerum à Lascio gestarum,
Qui cùm se rebus turbulentissimis & maxi/
mè dubijs Regum atq; Rerump. dedisset:
necesse profectò habuit illis gerendis, varias
& incredibiles adhibere cautiões: variasq; ꝑ
locorum & negotiorum varietate induere ꝑ/
sonas vt aliquando ad id quod statutum sibi
esset atq; decretum, perueniret. Neq; verò satis
habuit Lascius christianum lustrasse orbem:
eaq; ibi gessisse, quę digna essent fortissimo
viro: nisi etiā instituta, mores, leges, & cōsue
tudines gētium à nostra religione remotarū,
in primis verò Turcarum, sitůsq; locorū in
quibus habitāt illi, cognouisset, & penitus ha
buisset perspectos. Non est instituti mei vt in

 pręsenti

presenti historiam illius texam: itaque multa prudẽs prętereo. Illud tãtùm à summis viris dictitatum cõmemorabo, Lascium eã habuisse peritiam rerum Turcicarum, vt inter paucissimos qui hodie viuũt, hic vnus fuerit maximè aptus bello aduersus illos administrãdo: eumque fuisse in re militari veluti summũ nautarum gubernatorem, qui nõ modò tranquillo mari nauiculam, sed sęuissima tempestate argonauticam nauim potuisset gubernare. Verùm ille superatis his fluctibus, et hoc terrarũ ęstu, portũ iam tutissimũ tenet: in easque oras delatus est, quę eum omnibus rerum humanarum turbinibus curisque laxarunt ac liberarunt. Cuius quidẽ mortis opportunitatẽ, quis non meritò miretur, qui sit illius ętatem in peregrinatiõibus propè exactam meditatus? Nam ex eo ferè tempore, quo Ludouicus Hungarorum Rex generosissimus, Turcica immanitate, fato est perfunctus, Hiero. Lascius perquã magna negotia, maximi consilij, nec fortunę minoris, administrabat. Galliam adijt. Daniam atque Germaniam aliquoties peruagatus est. apud Turcã sedecies legatum egit. Domi rarissimè, nec nisi paucorũ dierum hospes, perpetuus verò vel in itineribus, vel in bellico apparatu, vel in ipsis bellis

gerendis

gerendis. Itaque cùm totũ hoc, à fatali illa die Ludouici Regi tempus cõsumserit, negotijs regũ peregrè procurandis, cùm difficilima pericula sponte adierit, cùm in gladiorũ vibratu & hostico tubę sono toties sit versatus, cùm nihil habuerit antiquius, quàm pulchrã per vulnera, Reip. causa, oppetere mortẽ: Tamen diuinitus seruatus est, vt non alibi quàm domi inter suos extremũ fati diem sustineret. Nam cùm ex Tracia ad nos reuertisset, ex illa legatione, quę illi vltimũ humanorum operum fuit, ęger quidem & admodum valetudinarius: mortem animo forti & perlibenti, in manibus amicorum, cum vita cõmutauit. Mihi quidem fœlix & perbeata visa est hęc migratio illius ex hisce turbis, quibus illum maximè implicatum fuisse constat, in quietem illam ęternã: primùm quia animo pacatissimo facta, & res humanas, quod non obscurè prę se ferebat, cõtemnente: deinde quia rebus omnibus ad sanctè migrandum compositis: ad hęc quia cõspectis prius & valere iussis ijs quibus cũ vixit coniunctissimè, vxore, liberis, & amicis: tum quod caput rei est, quia de medio & veluti de sinu et gremio ecclesię populorũ Christi: neque illud est in postremis, quod iudicatum illi erat, vitam à castris & belli-

 cis

tis turbis traducere ad tranquillitatem & ad
politicam disciplinam: vbi cū studia & actio-
nes suas ad Christi regulam formaret, tum
hominibus fidei suę cōmissis prodesset. Quā-
uis enim operam suā negotijs Regum exte-
rorum ferè dicauerat: atq; ad bellum hoc Tur
cicum, in spe vitę quamdiu erat incumbebat,
vt in eo prȩclarum artis suę facinus, dignum
quidē vsu rerum à se gestarum ederet: Verū
in colloquijs familiaribus, quę cum amicis de
cumbens, sed spe valetudinis recuperādę nō-
nulla nixus, habebat: quibus frequens inter-
eram: miro mihi desiderio quietis & vitę po
liticę incensus esse videbatur. & veluti vir il-
le sapiētissimus exanclatis laboribus infinitis
Fumū Ithacę suę plus videre cupiebat quàm
foco luculento alieno delectari: Ita hic noster
Vlysses et honoribus amplissimis & bellicis
laboribus summis perfunctus, hunc sibi om-
nium laborum fructum cōstituebat, vt vitę
reliquum domesticis ac politicis rebus admi-
nistrandis consumeret. Itaq; sępe de re fami-
liari, de reip. optima forma, de legibus quib'
illa potissimū contineretur, disputabat. Hanc
verò, de qua scribere institui, legem de homi
cidijs seuerè puniendis, caput & firmamentū
reip. potissimū iudicabat; neq; rerum aliarū
rectè

rectè modum prȩscribi posse, nisi vita nostra
ab importuna sceleratorum manu tecta: neq;
ad diuinam humanamq; legem aptiorem ho
micidij pœnam excogitari, quàm capitalem.
Multa in eam partem (vt erat promptus sen
tentijs vel ex literis sacris vel ex profanis pro-
ferendis) argumenta adferebat: quę ego qui-
dem meo arbitratu exposui in hac oratione.
Audiamus ergo Hieronymū Lasciū de pœ-
na homicidij i Senatu, magna omniū ordinū
frequentia, rogatū sententiā suo loco dicentē.
VIDERI cuiq; vestrum possim Rex incly
te, & Senatus amplissime, vosq; nobiles &
optimi viri ordinum omniū, male de rep. hac
cōmuni omnium nostrum parente mereri, si
de legibus qbus illa et ab initio cōstituta est,
& in hūc vsq; diem prosperis successibus gu
bernata parū piè honesteq; sentirē. Ego verò
post Dei Opt. max. religionem, cuius primā
mentibus hominum natura inseuit curā atq;
opinionē, nihil in rebusp. sanctius esse iudico
legibus ipsis. Frustra enim societates hominū
inter ipsos colerentur: frustra hos cœtus &
domicilia coniuncta mœnibus sepiremus, si
religione summi Dei contempta, nulli insti-
tutis, nullisue legum vinculis resp. deuincta
esset ac cōmunita. Ac in tanto quidē bellorū
tumultu

tumultu, in tot hostium incursionibus perpetuis, nulla mehercle ratione defendi resp. posset ac diu consistere, nisi primũ domesticę omnium trãquillitati legibus consultum fuisset. Quamobrem quòd resp. hęc nostra prętet pacem publicam, qua domi fruitur, quamq; (vt in hac hominum peruersa cupiditate potest,) retinet foris, floreat etiã, & apud alios populos pro eo ac par est audiat: id totum ego secundum Dei beneficentiam triduo legibus ipsis: quarum iuxta pręscripta, qui in magistratu sunt gubernant omnia. Sentio igitur de legibus patrię cuius filius sum honestissimè: quibus & conseruationem patrię tã diuturnam: et florem acceptum referre par est. Verumenimuerò sunt quędã in ijs, quę principio quidem causis grauibns & cõsilio etiã optimo constituta videri possint: at nũc tempus ipsum & abusus etiã non minimus exposcere et planè exigere videtur, vt illa ipsa corrigantur & mutentur, si florem hunc patrię nostrę constantẽ retinere, sicq; integrũ posteritati volum⁹ reddere. Et quoniã rogatus sententiã dico meo loco de pœna homicidij, quęso à vobis vt voluntate vestra fiat cùm pœnam vsitatam ostendero parum esse sceleri tanto accommodatam. Necq; id sanè fecero

studio

studio vel cõtradicendi vel nouãndarũ rerũm. Sed cùm in medium deliberatio consilij capiundi sit introducta, puto vnicuiq; nostrum libertatem datam esse, quod è Rep. ducat fideq; sua dicendi. Quamobrem peto à vobis vt me cum beneuolentia audiatis dum causas pppono, cur bonis viris, patrię huius filijs, ex omnibus quidem ordinibus permultis, pœna vsitata exacerbanda, ac omnino pecuniaria in capitalem cõmutanda esse videatur. Necq; continebitur oratio mea calamitatibus recensendis: quę ĩnumerę ex pœnę facilitate, dum caput hominis pecunia soluere licet, in genus mortalium redundarunt: Sed quę vel apud exteros populos, inter quos multum sum versatus, vidi & audiui, vel ex nonnulla lectione cognoui, vel experientia ipsa rerum magistra didici, ea quidem in pręsentia quantum commodius potero exponere conabor. Sed antequàm ad eam orationem veniã quę in pœnę pecuniarię versabitur reprehensione, videtur causę in primis exponendę & occasiones, propter quas pœna hęc sanè minuta si sceleris magnitudinem verè ęstimes, fuerit principio cõstituta: vt deinde num eam in capitalem uertere, hac hominum malitia, sit necesse videre

B possitis

poſſitis. Profectò ita eſt Rex inclyte et Sena-
tus ampliſſime vt homines, quò rerum initio
ac veluti mūdi incipientis viridi illi ętati erāt
propiores, hòc facilius vel nulla, vel quamli-
bet exigua pœna ab omni genere flagitij ar-
cerentur. Nulla olim in ciuitate Atheniēſium
(quam vnam ſatis ſit nominaſſe hîc exempli
cauſa) cùm iam & rerum potita erat, & legi-
bus optimis conſtituta: Nulla, inquam, in ea
ciuitate pœna ꝓpoſita erat paricidis: qđ an-
tea ſcelus illud a nemine ibi auditū erat. Pòſt
verò malitia hominum nihil non audente, nō
eſt dubium pœnam aliquam fuiſſe conſtitu-
tam: ac ſubinde etiam moribus in peius ruen-
tibus auctam atq; exacerbatam. In Rep. no-
ſtra, quantum ex annalibus inueſtigare licet,
non aliud pœnę genus in homicidas excogi-
tatū erat quàm pecunia: eaq; nō maior quàm
Sexaginta marcarum monetę noſtrę: Pòſt
vero licentia hominum creſcente, proceſſum
eſt memoria noſtra ad marcas Centum: dein
de cùm hoc non ſatis eſſet peruerſitati repri-
mendę decretū eſt in homicidas vt pręter pœ
nam pecuniariam ſpatio vnius anni in cuſto
dia tenerentur: Sed ne hoc quidē ſatis viſum
eſt ſubmouendo maleficio: itaq; tenebris &
ima

ima carceris parte cuſtodia illa definita eſt. It[a]
mundo degene rante, aut potius hominum
audacia in dies magis ac magis omnia ſacra
ac profana violante, ſupplicia maiora ſunt cō
ſtituta: quę rerum initio, mundo veluti naſcē
te, leuiora multò cùm eſſent, magis tamē ho-
mines in officio continebant. Etenim ita re-
rū natura comparatū eſt, vt qui olim homi-
nes ferino victu, gaſis agreſtibus, & antris re-
lictis, loca aliqua frequentare cœpiſſent, do-
musq; coniunctas, quę nunc oppida voca-
mus, ędificare, principiò quidem nulli perin-
de rei ſtuduerint, quàm vt rudem terram re-
ctè proſcinderent, eamq; fructuoſam ſibi red
derent: nec enim frequentiam illam diu colere
poſſent, niſi quę ad victum forēt neceſſaria,
primò curarent. Nullus tum luxus eſſe pote-
rat in cœtu illo recenti, victuq; arido: nullę
diuitię. quiſq; pro ſua parte in id vnicè incū-
bebant, vt modum agri, qui fortè ſibi erat aſ-
ſignatus, quam optimè colerēt: ſatis amplum
laboris pręmium referre ſe putantes, ſi terrā
ſubactā annuum ipſis victum ſuppeditaret.
In eo igit̃ horrido victu, tantaq; rerū inopia,
non neceſſe erat multis legum repagulis, qui-
bus homines ab vitijs arcerentur: ſed conſti-

tuebant

tuebant tamen leges aliquas ad disciplinã & societatem illam retinendam. Quis igitur tũ ab homicidio non abstinuisset vel sponte sua in victu illo & vestitu minimè delicato, uel poena proposita mediocri in rerum omnium angustia? Ego sanè putarim in eo exordio rerum multam potius addendam fuisse pecuniariam, cùm neminem ad id facinus malicia procliuem esse intelligerem quàm capitalem: cuius etiam mentiõe perculsi homines facilè ex nouis sedibus dispergerentur. Ac non dubito maioribus nostris seu inde à primordijs nominis nostri, seu post multa secula gente multiplicata & in varias distincta vrbes; Nõ dubito, inquam, hanc maioribus nostris rationem fuisse poenę pecuniarię constituendę: quòd ea deterreri posse quenq; à flagitio tanto videbant. Quę enim natio hominum tam rudis vnquam fuit, tamq; rerum omniũ imperita, quę vitam humanam exęquari posse vllo precio diceret? Quis nostrum hanc notam maioribus nostris inustam velit vt suam ipsorum vitam quammaxima vi numorũ posse persolui putarent? Sed vt dixi cùm animaduerterẽt talia tum hominum ingenia fuisse, vt vel per se etiam ac spõte sua, vel quãlibet leui

libet leui poena ab omni cęde abstinerẽt, poenam tantùm pecuniariam cõstituerunt: quã ij sustinerent qui casu aut per imprudentiam (sciens enim ac volẽs, qui id faceret, inauditũ erat.) hominẽ occidissent. Hanc & ego poenam viri amplissimi existimem ijs quoq; per imprudentiam qui homicidium cõmisissent subeundam. Nec enim iustum censeo vt delicta, quę casu aduerso & nolentibus nobis fiunt, ęquę puniantur vt illa quę ex malitia & consilio animi destinato, proficiscuntur. Deinde si quis defendendi sui causa hominẽ, qui prior illi mortem afferre paratus erat, occidisset: eum quoq; aut vsitata, aut minore, aut si forte vi tuendiq; sui necessitate eò fuisset adactus, nulla omnino poena afficiẽdum puto. Id enim nobis natura inditum est, vt caput, iugulũ, latera, vitam deniq; ipsam ab omni vi tueamur. itaq; & leges porrigũt nobis arma ad vim vi repellendam: & ipsa consuetudo gladijs accingẽdi latera nostra nõ aliud cõmodi affert quàm vt ab insidiatore repentino, quantũ possimus nos tueamur, vitamq; nostram; Quod si necessitatis graue illud telũ tanti putatur vt Dij quoq; paruisse illi tradãtur, quã tandem mortaliũ generi excusationẽ

 putabi

putabimus iustiorem vitę alicui ferro ereptę, quàm se non potuisse aliam expediendę salutis suę rationē habere, nisi homine qui forte gladium animo occidēdi prior intentauit, necato? Omnino enī hanc nascentes nobiscū attulimus legem, vt vim vi à nobis propulsemus: eam à Deo immortali vnà cum animis haustā habemus: ad eam impellimur natura duce: necꝫ aut ratione aut magistro pręeunte eam didicimus: sed quemadmodum nudi & rerum omnium indigētes in hanc lucē editi, instrumentis ad rem quęrendam augemur: ita ea lege imbuimur ad vitam & salutē tuendam. Quòd si capite puniendi essent qui, salute defendēda, cędem fecissent, ecquid tandem interesset quô minus latronibus petentibus vitam nostram, nos mactandos vltro traderemus? ecquid referret perire nos huius iudicio aut illius manu? siquidem occidēdum nobis sit iudicis sententia, quia nos occidēdos insidiatori non prębuissemus. Iam cùm duo sint genera iniurię propulsandę, vnum per disceptationem forensem, alterū per vim: certè ad hanc necessariò est confugiendum, illa desperata, ne, dum illam expectamus, antè nobis pœna iniusta reddēda sit, quàm iusta ab homine

homine scelerato, iudicio repeti possit. Sit igitur hoc in primis positum in hac sententia nostra, non esse in fraude capitali ponendum, si quis ad vim & cędem faciendam, vi coactus impellatur. Proximum verò huic sit, ne eum quidem homicidio esse obstrictum, qui casu, nolens, contra mentem & sententiā suam (vt qui forte tegulam ab alto demittat, in locum quem hominibus vacuum putabat) necem alicui attulisset. Eius sententię authorem habemus vocem Dei immortalis, qui tale discrimen constituerit homicidiorum vt qui cogitatò scelus hoc ac de industria fecisset, per insidiasúe, morte pœnas daret: vsqꝫ eò quidem vt si vel ad aram Dei confugisset, inde tamē raperet ad mortē: Qui verò sine insidijs homicidium improuisum nec opinatū sed casu admisisset, is non interficeretur: (siquidem in manū illius Deus se tradidisse & impulisse occisum fatetur.) Sed tantùm in locum fugeret tanquàm ad asylum diuinitus constitutum. Sanciuit & illud Lex diuina, vt fur nocturnus impunè occidatur: diurnus non impunè. Tametsi leges. xij. Tabularum diurnum quoque si telo se defēderit, interfici impunè voluerūt. Atqꝫ id quidem de cęde

Exodi. xxi.

Exodi. xxij.

cęde vel caſu aliquo vel neceſſitate facta dictũ eſto. Cęterum quis vitam hominum tanto odio habet vt immaniſſimũ paricidam vltro ſpontecꝫ homines occidentem, per ſummam malitiam genus mortalium extirpare conantem non excindere velit, ac ex omnium ętatũ temporũcꝫ memoria deleret? Sępe de grandioribus natu audiui, illud in more maiorum noſtrorũ fuiſſe, vt ſi quis ſeu pecuniã mutuã ſeu quamlibet rem aliã vtendam alij dediſſet, non opus ad id vllis inter eos ſyngraphis fuiſſe. Tantum abfuit vt qui creditor eſſet caueret à debitore aut iuris iurandi religione, aut nominibus factis, aut fideiuſſoribus. Sed aut dabat rem ſuam, arbitris ſemotis, pręſens pręſenti; aut etiam abſenti in ſacculis numeratã pecuniam, ab vna in aliam ciuitatẽ mittebat: quam pecuniam debitor & accipiebat integram, & cum bona gratia referebat: Tanta & portitorum fides erat, & debitorum gratitudo. Nũc verò qđ in pecunijs mutuandis nõ ſtipulamur? quę nõ exigimus chirographa? quas cautiones non excogitamus? quos non conſulimus formularum cautores? Et tamen fit perſępe vt qui abs te mutuum accepit aut fidem non pręſtet, aut cum mala referat

gratia

gratia, aut quod minimè fieri oportuit nõ ſine hoſtilitate. Sed hoc nimirũ eſt quod viri prudentiſſimi non de nihilo cõfictis, ſed è re ipſa ſumptis olim fabulis prodiderunt: dum primam illam, qua homines nullis conſtricti legibus ſed ſponte ſua fidem rectumcꝫ colebant auream vocarent ętatem: alteram deinde, vt priore deteriorem ſic à metallo ignobiliori argenteam, pòſt verò paulatim moribus in peius degenerantibus, & ęneam appellarẽt & ferream. Volebant homines rerum humanarum peritiſſimi ſignificare nõ minorem in dies à priſtina morum puritate in peius mutationem fieri, quàm ferrum cedat auro, precio atcꝫ nobilitate. Tanta igitur rerum mutatione quis quęſo non intelligat ſubinde & legibus opus eſſe alijs, & pœnis etiã quibus hominum malitia refrenetur grauioribus? deinde ſi in rebus cęteris, magnis quidem illis & ad ſocietatem hanc retinendam perneceſſarijs tot ſunt leges nouę ſancitę, tot itẽ veteres nouis exacerbatę pœnis, cur non idipſum in noſtra ipſorum tuenda vita, omnibus profectò rebus longo interuallo pręſtãte effectum velimus? Eò enim iam in hac Rep. multorum malitia proceſſit, vt putes illos hoſtes eſſe humani ge-

C mani ge-

mani generis perpetuos: in idq; videas vnicè intentos ut in quos libitum est eis seuiant: eos persequantur: ex ędibus ejiciant: deinde cùm non grauius malū dare possint, miserabiliter trucident. Quot enim paucis his annis reperti sunt maleficentissimi homines, imò immanissimę beluę, qui posteaquàm alicuius exarserunt odio, non prius illud restinguere potuerint, quàm hominem nec accusatum, nec condemnatum, imò nec opinantem, nec id vnquam expectantem, pręter ius omne & pręter magistratus edicta, crudelissimè manibus suis necarent? Possem multos hîc nomiatim proferre vel amicos vel tribules, vel parentes vel filios vestros, vestrorumue hominum qui ab importuna sceleratorū manu uulneribus acceptis mortem teterrimam obierūt: possem rabiosas multorum impressiones in honestissimos homines factas: possem strages, manu collecta, vtrinq; editas cōmemorare: sed non est instituti mei in re omnibus notissima cōmorari. At verò quas nam pœnas persoluerunt pestes illę hominum flagitij tanti? dignum quidem erat pœnam sceleri parem esse: ac carnificinam illam vel exempli causa vel quia ęquum est merita punire morte: vt &

cęteri

cęteri deterrerentur ab hominibus necandis; & ipsis homicidis eadem dies peccandi finem afferret quę & viuendi: verùm posteaquàm euaserunt, primam, qua in pręsenti facinore capi poterant occasionem, prodeunt paucos post dies impunè in publicum: securi iam vitę & rerum suarum. quid enim facias illis qui momēto patrati homicidij hominum manus effugerunt? Dies eis dicitur apud iudicē. Hic verò in eos animaduertit pœna vsitata. Quotus aūt quisque homicidarum est, qui vtranq; dependat pœnam Reip. & pecunia persoluenda, & carceris cruciatu anni spacio perferendo? Multi amicis occisi placatis vtranq; euolarunt pœnam. Quid enim putatis homūculos facere istos, qui sua tantum re tanguntur: alienas & pręsertim mortuorum res parū ad se putāt ptinere. Verè enim dictū videri potest, Nihil citius arescere lacrima: pręsertim & in rebus alienis, & lucelli alicuius odore aspirante. Multi etiam à cęde in exteros se conferunt populos: atq; inde cum literis deprecatorijs, aut forte meritis cum aliquibus redeuntes, vel vtriusq; vel alterius pœnę remissionē obtinuerunt. Rariq; sunt seu honoribus atq; existimatione pręstātes, seu gra

 tia

tia florentes, seu amicorum consanguineorũ, q; potentum studijs stipati, qui legibus & iudicio dederint pœnam constitutam Soli. homines vel ab amicis, vel ab honoribus, vel ab existimatione inopes, pœna illius sustinent acerbitatem. Et tamen qui pœna affecti sunt nihilo fiunt meliores: imò seipsos etiam scelere deinceps superãt audaciaq;. Inuenias enim q & multis postea paricidijs sese obstrinxerint & sint deinde ad omnia scelera atq; ad impetendum homunculos imbelles longè audaciores. Qui quidem si morte luissent cędem à se indignissimè factam ijsdem finibus audaciam interficiendi alios quibus vitam suam terminassent. Quàm igitur ex re sit omniũ qui se hancq; Rempu. saluam cupiant, quamq; ęquum si supremo adficiantur deinceps supplicio, qui primi hominem occiderunt puto verbis nõ opus esse in re clarissima. Sed quoniam ingressus sum hunc dicendi campum iussu vestro atq; officio muneris mei, faciendum mihi existimo vt omnes, quãtum in me sit, inuestigem eius rei causas: à vobis modò peto quęsoq; vt quod adhuc fecistis, benignè atq; attentè audiatis reliquam orationem: efficiam em̃ profectò vt omnes intelligatis, quã obrem

obrem, qui prior homini obtulisset mortem, ipsum quoq; ad mortem vsque necessum sit multari. Si enim pœna quę iusta sit respondere debet culpę eamq; etiam vt expiet ęquare, nihil me hercle tam ęquabit homicidium quàm si homicida morte multetur. Nulla em̃ pecunia tanti est: imò etiam si res conferantur totius orbis terrarum in vnum, nullo modo tanti sunt vt contendere possint cum vita hominis vnius: qui meliore sui parte sit particeps diuinitatis: qui imaginem opificis sui inse mirandum in modum habeat insculptam: qui non vt cętera seu animãtia seu inanima, inortalia & caduca sunt, sed qui ex hac vita transferatur ad domicilium beatorum: Cuius causa filius Dei opt. max. è cœlo descendens, cruci se suffigendum voluerit, vt eum reconciliaret patri suo cœlesti: deniq; cuius causa omnia quę vsquam in terris sunt, quęq; in cœlis visuntur, condita sint. Iam verò quamcũq; in partem vitę humanę contemplandę te conuerteris, quot dij boni res mirandę in hoc opificio sese ostẽtabunt? Nouem menses maternis claustris septus, huic luci formatur; edito in lucem lac in vberibus maternis, nutriẽdo, suggeritur: labore & anxietate parentum

incredibili

incredibili educatur. Quis enim verbis expli
care satis queat quot & quanti labores fingē
do hoc animali suscipiuntur? primùm in in-
fante viribus omnibus destituto quan-
ti? deinde in adultiore densissimis ignorantię
tenebris circumsepto qui & quanti? post hęc
ętatis accessione aucto, quis sufficiat vnus in-
stituendo, erudiendo, ad humanitatem infor-
mando? quot artes vsurpandę fingendis mo
ribus illius & refingendis? quoties rogādus,
monendus, castigandus, nonnunq̄ adulatione
deliniendus? ac post tantos labores, tot curas
& ęrumnas, vix tandē ad annos viginti na-
tus, rebus gerendis aptus esse videtur. Quo
ferè tempore maximam solet lęticiam facere
natus parentibus amicisq́;, & cunctę patrię:
dum & illi sperant labores suos fructu ętatis
nati longioris compensatum iri: & hęc in spē
cuiusuis rei ab illo bene gerendę ingreditur
ampliorem: cupitq́; videre vt homo tanto tē-
pore, tot laboribus alienis, aliena cura & in-
dustria eductus, ostendat in Rep. pro virili
parte aliquid, quo declaret non sibi se natum
esse sed parentibus, amicis, & Reip. Sed ec-
ce tibi quasi in medio cursu homo maleficus,
qui momento eripiat tantas spes nobis, occidit
illum

illum alumnum: priuāt parentes, amicos, et
totā rēp. sperato fructu. nūerat deinde (si forte
quis exigat) marcas centū, & forte molestias
carceris aliquot septimanarū, perfert. an verò
vobis videtur cū hac pœna cōpensari vita ho
minis occisi? in quo cōsummādo tot labores,
tot calamitates sunt exhaustę: qui à deo filij, à
Christo fratris habet loco: qui tot naturę be
neficijs auctus est & ornatus: in q̄ tot & tantę
sint spes collocatę rerū benè gerendarū. Quę
igitur cū tāto opificio non marcarū centū no
stratiū vinculorumq́; vnius anni, sed rerū to
tius mūdi si in vnū conferantur cōtentio fieri
possit? Quę verò aptior pœna constituatur
quā si rei capitalis damnētur oēs homicidę?
Non hîc sanè hominū gradus cōstitui necesse
est, nobiliū, plebeiorūq́;, diuitū et tenuiûm, do
minorū ac ministrorū. Ad gentes à Christi re
giōe alienas facessat illud decretū, vt dn̄is pote
stas sit necis seruorū: alijs in negocijs valeat il-
lud vt pluris sit paupe opulētus: Satis sit ī hac
Rep. nobilitati pręrogatiuis gaudere multis
vel in honoribus petendis profanis ecclesiasti
cisq́;, vel immunitatibus vectigaliū aliorūq́;
onerum obtinendis. Cęterum in vindican-
da legibus morte hominum ad exemplar dei
 condi-

conditorum, fratrum Christi & coheredum, ne sit quęso discrimen vllum. certè nulla humani generis pars propter discrimina humanitus constituta est negligẽda. Cedat sanè diuiti pauper; nec cõtendat cum nobili plebeius ordo: verùm seruentur illi gradus in vitę huius commoditatibus percipiendis, atq; in vitę huius dignitate: mortem verò per scelus cuilibet oblatam, nemo non ijsdem pœnis persequendam putabit, qui à Deo opt. max. ęque plebeios ac nobiles, pauperes ac diuites, ministros ac dominos esse diligenter reputauerit: nec minus manere illos atq; istos hęreditatẽ ęternam. Hoc natura docet, simili omnes homines opere condens: ijsdem rebus indigos, in hanc lucem proferens: ijsdem quoq; illos tum animi tum corporis dotibus ornãs. Hoc vult naturę author ille & conditor deus, omnes ex ęquo in spem salutis vocans & ęternitatis. Hoc iubet magister noster Christus, qui cùm suę religionis iugo nos exęquauerit, cùm proximorum appellatione nos voluerit omnes censeri, non minus profectò nobis voluit pauperum, seruorum, plebęiorumq; vitam cordi esse quàm diuitum, dominorũ, ac nobilitatis. Deniq; hoc postulat Respub. ipsa

ipsa mater omnium nostrum: quę quantum uis ex re sua constituerit ordinum distinctionem, non aliter tamen salua esse possit ipsa, quàm filiorum quos genuit, eduxit, quos sinu charitatis maternę cõplexa est, quos vni monarchę subiecit, salute & vita eodem modo tuenda. Quòd si in facinoribus aliorum criminum illam sine vllo discrimine personarũ constitutam habemus pœnam, vt non elui possint nisi capitis supplicio, cur non idem seruamus in scelere homicidij immanissimo? Fures cuiuscunq; ordinis sint atq; loci in crucem affiguntur omnes: de adulterio, deq; peculatu conuicti vel si lateant quamdiutissime à flagicio patrato, si quando tamen in manus incidunt iudicum nulla inde eis datur redimẽdi facultas: nullę pecunię tanti sunt vt pares sint facinori persoluendo. sit sanè qui furtum fecit equestri loco plebeiòue, nulla tamen via iudicis manus elabi possunt, quin in crucem acti laqueo strangulẽtur. Detur seueritas huius legis, viri amplissimi, hominum societati: detur huic in qua nati sumus Reipub. Nam quis est qui dubitet si ad viuum resecare velit, quin vita hominis pluris sit multò rebus furto sublatis? Verùm cùm humani hi coetus

C v tus

tus defēdi aliter nō possunt, nisi maleficis hōi-
nibus è medio sublatis, maneat sanè vt seueri
tatis exēpla illa ĩ fures edātur: homicidę verò
q fures lōgè superāt facinore ac immanitate
cur nō similibus aut peioribus multo exēplis
perdātur? Cur furibus oīs viuendi spes legi-
bus in perpetuū adēpta: eadē paricidis, patrati
homicidij momēto manus hominū elapsis, in
tegra manet: ac omnīo carcere pecuniaꝗ mul
taticia persoluta, sarta atꝗ tecta? Non mihi
possum temperare, quin, quò oratio ducit, cō-
tentionem faciam furum & homicidarum,
quo quidem apud nos loco esse vtrique pu-
tentur. Fur habetur infamis, homicida fortis
animosusꝗ: ille multatur morte, hic pecunia:
ille viuens moriensꝗ in numerum hominū
honestorum venire nunquam potest, hic &
viuens fungitur honoribus & moriens nu-
merum obtinet honoratorum: ille ita moritur
vt veluti in exemplum omnibus, deterrendi
causa, in altum sublatus, terram non tangat,
hic in subsellijs virorū honestissimorum no-
bilissimorumꝗ eum locum obtinet quē vel
si homicida nunquam esset, obtineret. O ingē
Exo.xxij. tem morū peruersitatem. Deus iubet ne ma-
leficos patiamur viuere; Nos homicidas non
tantū

tantùm sinimus viuere, sed & honoribus ijs
frui qui in alijs Rebusp. soli virtuti debētur.
Et quoniam in Rep. christiana viuimus, vi-
detur mihi cum ea meritò expostulandum,
Cur tandem homicidam potiore habeat loco
quàm furem? Quasi verò non vterque in le-
gem dei peccet. an est quisquam qui ignoret
eundem nobis homicidio interdixisse qui fur
to interdixit? eundem in vna tabula scriptū
illud reliquisse. NE OCCIDITO,
&, NE FVRATOR? Profectò
animi fuerit minimè christiani, non eadē re-
ligiōe imperia & leges obseruare omnes, quę
cunꝗ ab illo Legislatore Deo scriptę sunt &
in eadem tabula incisę. Voluit Legislator il-
le non minus consulere vitę nostrę quàm for
tunis. Quòd si qua uis ordinis sit habenda,
certè priore loco legem fixit ad tuendam vitā
nostram quàm illam muniēdis rebus nostris
accommodatam. Ac ne sola legislatoris illius
authoritate niti videamur: quę tamen ipsa
talis est vt per se pulcherrima atꝗ summa cū
sit, meritò ab omnibus, in primis vero chri-
stianis plurimi debeat ęstimari: Sed omitta-
mus, inquam, legislatoris huius authoritatē,
faciamusꝗ ab eo nullam mentionem prohi-
bię i

biti homicidij fuisse factam: nedum vel in ea-
dem tabula aliquam, vel priore loco: an verò
ratio & omnium populorum consensus non
iudicat vitam corpusque ita seruanda esse ac
munienda, vt fortunas omnes ac rem famili-
arem lōgè posteriora illis ducamus? Etenim
res ac opes semel amissę sarciri possūnt: vitā
verò semel amissam quis vnquam recupera-
uit? Quę igitur causa est vt seuerioribus pœ
nis ac legibus eum qui res nostras quàm qui
vitam abstulisset teneri putemus? Enimue-
rò metuendum ne auaricia atque nimia o-
pum cupiditas causam prębuerit pœnę seue
rioris in fures inueniendę quàm in paricidas:
nimirum dum in rem faciendam plus iusto
intenti sumus: lucrique ex vnaquaque re odo
rem pulchriorem quàm proximi vitam iudi-
camus. Nam quis per deum immortalem su
am ipsius vitam non antiquiorem existimet
pecunia omni? quicquid igitur pœna homi
cidij vsitata agitur non de nostra morte vlci-
scenda agitur, sed aliena: quam quidem alie-
nam mortem dum fructuosam nobis volu-
mus esse, magis pecuniariam pœnam stude-
mus retinere quàm vt capitalem (quę commo
di nihil nobis afferret) constituamus. Scilicet
hoc

hoc est quod diuino iussu ferimus prę nobis
ipsi, ęquè proximos diligi à nobis atque nos ip
sos: eorū vitā non aliter nobis cordi esse quā
nostram: mortem verò illorum ita nobis a-
cerbam vt si nobis ipsis per scelus illata esset.
Iam verò si vitam homicidis donaremus so-
lam, non etiam vitę commoditates ac orna-
menta, ferendum id quidem esse putarem.
Etenim ad magnam pœnę acerbitatem per-
tineret, viuere in hominum cœtu sine hono-
re, sine rerum facultatibus, sine potentia, sine
amicorum ope ac consuetudine. nec vita hęc
magnopere videretur expetenda homicidę:
cùm se & amicis dedecori atque maculę, &
vulgo contemptui, cùm suam crudelitatē om
nibus odio esse videret: cùm deiectis oculis
incederet: tātumque in id animam de cœlo du
cere videretur vt se se ad frugem reciperet me-
liorem, deumque sibi placeret. Nūc verò quid
deest homicidę ad vitam fœliciter degendā,
posteaquàm pœnam dependit vsitatam? fun
dos quos ante habebat possidet omnes: ami-
corum & hominum potentū ac virtute prę-
ditorum consuetudine gaudet: incedit purpu
ratus: fruitur honoribus Reip. in Senatu lo-
cum tenet; in regijs oculis versatur, quid est
iniqui

iniquitati subdere calcaria ad cędes, si hoc non est? quid prodest operam virtuti dare, si tantus est honos maleficio? Atqui certe deus ipse

Exo. xxij.

iubet, NE SINAMVS MALEFICOS VIVERE, et lege in Exodo lata edicit,

Exo. xxi.

QVI PERCVSSERIT HOMINem ITA VT MORIATVR, IPSE QVOQVE MORIATVR MORte. Ac ne qs refellēda hac lege, dicat eā ad Rēp. Iudęorum pertinere tātùm, audiamus quid mūdo propè vacuo, hoībus octo dūtaxat ab excidio illo vniuersi orbis superstitibus, (qui quidē genꝰ humanū tandē recuperaturi erāt) edixerit Deus, SANGVINEM, inquit, VESTRARVM ANIMARVM, REQVIRAM DE MANV CVNCTARVM BESTIARVM: ET DE MANV HOMINIS REQVIRAM ANIMAM HOMINIs: QVICVNQVE ENIM EFFVDERIT HVMANVM SANGVINEM, FVNDETVR SANGVIS ILLIus: SIQVIDEM AD IMAGINEM DEI FACTVS EST HOMO. Audistis edictum diuinum, mundo renascēte, necdum natione Iudaica segregata, latum.

Quo

Quo quidem edicto sanguinem humanum cum de bestiarum tum verò hominum manu se requisiturū dicit: sanguinē quoq; eius, qui prior sanguinem hominis effudisset, effusum iri. Audistis & causam edicti grauissimam & in primis expendendam: nempe hominem ad imaginē Dei esse effictum. Itaq; vitam eius à nemine violādum, nisi qui bellum suscipere vellet cum principe illo orbis, qui cum imaginem ac similitudinē sui ipsius viuam in terris voluerit referre. Atq; vt edictum hoc ad tempora omnium ętatum pertinere planum fiat, videamus & multis seculis ante illud diluuium vniuersale, atq; adeò principio rerum, vim illud habuisse suam, et nostris etiā habere oportere. Nā et ad Caymū primū homicidā sic de Abele occiso expostulando ait Deus VBI EST FRATER

Gene. 4

TVVS? QVID FECISTI? VOX SANGVINIS FRATRIS TVI CLAMAT AD ME DE TERRA: & Christus ad Petrum iniussu magistratus gladio vtentē, QVI, inquit, GLA-

Math. 26

DIVM ACCEPERIT, GLADIO PERIBIT. Hęc ferè in literis diuinis ab illo cœlum, terras, ac hominū vitas, tuente &

regente

et regente Deo prodita extant. Audiamus iā quam pulchrè consentiant gentium leges. Et xij quidem tabulis cum cęteras res tum verò homicidium capite fuisse sancitum constat. Romanis quoq; legibus in paricidas, hoc est in eos qui cognatū affinemúe interfecissent illud supplicium est inuentum vt in culeo cū cane, gallo, & vipera insuti in mare abijceren tur: in alios verò homicidas pœna capitalis constituta. Hac lege vtuntur Germani, vtūtur Galli, vtuntur Hispani, vtuntur & Hungari. Sed apud Hūgaros illud quoq; ad pœnę seueritatem est comparatum, vt non tantùm in caput interfectoris: sed in bona quoq; manus à Rege inijciantur: ea quidem quę castrensis, quasi castrensis, & aduēticij (sic enim iurisperiti loquuntur) peculij veniunt appellatione. Sic ad filios etiam pœna sceleris paterni redundat; dum solam adire permittuntur hęreditatem, quę patri à maioribus relicta erat. Sed nec Christiani tantùm, verùm & Scythę & Turcę puniunt capite homicidas.

Li. 48. ad L. Pomp. de paricidijs.

Neq; verò supplicium istud de eo tantùm sumebatur legibus Romanis qui hominē occidione occidisset: sed de eo etiam qui hominis occidendi causa aut cum telo fuisset, aut districto gladio aliquē impetijsset vulnerassetúe aut venenum cōfecisset, dedisset, habuissetúe. O legem populo illo, qui non armis tantùm, verùm etiam consilio sapientiaq; cęteris nationibus pręstabat, prorsus dignam. Viderūt prudentissimi homines, & rerum humanarū īprimis experientes, non tam rerū euentu pec cata hominum metienda esse quàm animorū consilijs sceleratis Itaque in maleficijs nō tan tùm exitum, sed voluntatem etiam spectandam duxerunt, deinde nihil interesse putarūt occidat quis hominem an mortis prębeat cau sam. Quoties igitur tanti maleficij crimen nō modò perfectum sed tentatum etiam argumētis claris signisq; comprobabatur, toties rei capitalis damnabantur, qui sceleris erant conuicti. Quo magis ea lex instituenda est à nobis in crudelissimum homicidam, qui sanguine humano imbuere manus suas gladiumq; nō dubitauit. Etenim si quis res gestas iam inde à condito orbe diligenter consyderet, vix mehercule inueniat vnū homicidā, quē ipsū non vlciscatur scelus suum. Cayn cùm esset fratricida, ipse quoq; interijt eodem genere mortis. Dauid ob imperatam cędem gladij persequutionem in domo sua perpessus est in sempiternum:

Li. 48. ad L. Corn. de siccarijs et ueneficias.

ternum: quę calamitas haud dubiè acerbior illi erat sua ipsius morte. Sed quid veteres historias attinet repetere, memoria nostra ostendite mihi aliquem vnum, qui hoc detestabili scelere patrato, vt etiam pecuniam quantumuis magnam numerauerit, ac carceris molestias pertulerit: ostendite, inquam, mihi vnũ talem qui non simili deinde perierit fato? Id quidem vsq; eò planum est omnibus vt iam vulgò celebretur, nullum nec homicidam nec adulterum naturali perire morte: ad hęc etiã passim iactetur, sanguinis innoxij clamorem
Gene.4. super astra ferri. Testatur id Deus ipse dũ dicit sanguinem Abelis occisi clamare ad se de
Apoc.6 terra. Testatur & Ioannes dum animas sub altari auditas sibi ait ita clamantes, Quamcito Domine vindicabis sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra? His verbis clamor describitur sanguinis innoxij: hoc est, eius qui citra iudicium legitimum ab homine priuato sit effusus. Siquidem nemini licere preter magistratum quenquam interficere ne nocentem quidem, literis diuinis proditum extat. Innoxius igitur putandus est sanguis qui à priuato effundatur homine, vtcunq; pretexatur honesta causa, excepta tamen vi ipsa:

ipsa: quę certe excipienda est & meritò secernenda. Narrabat hospes meus Vienensis admodum dolenter, ac voce ad luctum & moerorem composita, non ita multos ab hinc annos ciuem quendam suum, nobilem pistorẽ, cùm coenatus cum vxore, liberis, ac familia, dormitum isset, inuentum esse mane in cubiculo interfectũ, vnacum vxore & filiolo prope in cunis iacente: familiam quoq; omnem in cubiculis distinctis cubantem & ipsam ad internitionem quoq; cęsam. Cùm ex omni vicinia ad tam foedum spectaculum vulgò concurreretur; nemoq; in ędibus vniuersis repertus esset viuus, in quem suspitio maleficij conferri posset: simulq; animaduerteretur abesse, ex cuncta familia atq; ex domesticis patrisfamilias occisi aliquem vnum, qui in eo occisorum numero non reperiretur: captũ esse consilium querendi illius qui abesset. Inuentum tandem esse in plateis oberrãtem, captum, & ad magistratum criminis inuestigandi causa adductum. Erat porrò homo ille in arte pistoria quam cum magistro exercebat industrius, & ideo magistro suo in primis grat⁹: sed, vt fit, popinis, lustris & ganeis nimio plus addictus. Eum igitur & prius

apud apparitores qui eum comprehēdiſſent,
& deinde apud magiſtratū ſponte ſua, nullo
teſte, ſtimulis conſcientię actum, nec interro-
gatum, continuo crimen confeſſū eſſe: ſe hor
tatus magiſtri, quibus à luxu vocaretur ſępe
ad frugalitatem, ferre nō potuiſſe. Itaq; nocte
profunda cùm vox à vicinis exaudiri nō poſ
ſet ſe primum familiam in lectis cubantem,
ne illa patrifamilias ſuppetias veniret: deinde
hoſtio cubiculi aperto ipſum patremfamilias
cum vxore, altiſſimum carpentes ſomnum,
interfeciſſe: poſtremò verò in filiolum, qui in
cunis prope cubaret, ac morte parentum pri-
us conſpecta, ſuam ore balbutienti deprecare
tur, puppaſq; omnes ſi parcitum ſibi eſſet do-
no offerret, ſe ferrum ſtrinxiſſe. Tot autē cę-
dibus factis ſe ad portam ciuitatis contendiſ-
ſe, vt illinc digreſſus pœnā homicidis impen-
dētē vitaret. Verùm porta ciuitatis ſe aliquo-
ties egreſſum, tamen rurſum ad ciuitatē vi et
impetu animi impellentis reuertiſſe: tantas ſi-
bi tenebras offuſas fuiſſe, vt quaſi collo obtor
to eò vnde diſceſſerat reductus eſſet: tantis de-
niq; aculeis, tantis furijs cogitationum ſe agi
tari vt nec ſe animo conſiſtere poſſe diceret:
nec quicquam magis optare quàm vitam ſi-

bi eripi quàm ipſe alijs eripuiſſet. In tot verò
ſtimulis conſcientię ac cruciatibus animi ſum-
mis, illam pueri vocem qua ſibi parci petebat
atq; puppas vitam redimendo offerebat, eſſe
ſibi tanquam facem ſine intermiſſione adu-
rentem & pœnam longe omnium acerbiſſi-
mam. Hęc quidem paricidam illum vltro et
ſponte faſſum eſſe, ac morti deinde prout di-
gnus erat adiudicatum hoſpes meus Vienen
ſis narrabat. Ego ſanè non abſq; lacrimis
audiebam & tantā immanitatem paricidę &
ſanguinis innocentis vltionem diuinitus im-
miſſam. Neq; enim Deus qui legem tulit ſan
guinem eius effuſum iri, qui hominis ſangui
nē effudiſſet, ad homicidia conniuere putan-
dus eſt, vt non pœnam repetat ipſe ab hijs qui
imaginē ſuam violaſſent. Itaq; paricidę iſti
& mentem abſtuliſſe, & fugiendi facultatē
eripuiſſe, & eum pœnis meritis reſeruaſſe eſt
exiſtimandus. Hoc igitur veluti pręiudicio
tāto, cuius ſimilia multa, nobis nō animaduer
tentibus fieri quotidie putemus, an non pa-
làm nobis oſtenditur quid in puniendis ho-
micidijs ſequi debeamus: habemus & lege di
uina conſtitutam pœnam homicidis: & eius
voluntate in eam mentem illos impelli vt ipſi

incidant in manus vltorum, cur igitur dubitamus legem emendare nostram, pœnamq́ similem diuinę constituere? Nam quę gens quę natio alia prętur nostrã caput hominis pecunia persoluat? Nisi forte hoc in numero Dani habendi sunt: apud quos legem quoq́ vigere audiui similem nostrę. Sed illi tanta incommoda perferunt ob pecuniã hanc mulcticiam vt parum apud illos tuti sint imbelles à potentioribus & in medio foro & in tẽplorum ędiumq́ penetralibus. Itaq́ Germani illud eis in iurgijs obijcere consueuerunt, vitam humanam non alio loco haberi apud illos quàm pecudũ: vtpote quę pecunia quoq́ redimatur ac persoluatur. Iam ne quis putet hęc in nationem Danorum à me cõtumeliosius dici, permittamus sanè illos vti sua lege: certè tamẽ non debent esse nobis tanti vt illis tantùm similes nos fieri velimus, potius quàm tot nationibus alijs, Italis, Gallis, Hispanis, et omnibus quę Romanis legibus vtuntur: quę legi Diuinę subscribere non dubitarunt: caputq́ non alia re quàm capite puniendum esse statuerunt. Tanta apud nos religione sunt tantaq́ maiestate tẽpla & principum arces vt rei capitalis damnentur, quicunq́ ea violare, non quidem homine occidendo sed gladio vagina vacuo aliquem petendo fuerint ausi. Quod verò templũ maiore sanctitate putamus venerandum esse, hoc quod Dei viuentis est habitaculum, an quod lignis est lateribusq́ constructum? Quã arcem tantę maiestatis ac venerationis plenam, vt eam qua & religiones & Resp. defenduntur? Scitè enim mihi fecisse videtur Rex ille qui Cęsari ni fallor, Ottoni, tẽplũ diui Adalberti Gneznẽse religiõis ergô visenti, ac opes atq́ arces quas regio hęc potissimas haberet videre cupienti, viros ostenderit lectissimos exercitusq́ qui subito legi poterant numerosos: illos, inquiẽs, arces suas esse atq́ opes. Pręclarum sanè & regia maiestate dignum responsum, nullę enim opes regibus tanti esse debent, nullę arces tam firmę videri atq́ homines ipsi: quorum causa illi constituti sint à Deo, tot honoribus totq́ opibus aucti & ornati: sine quibus nec opes, nec dignitatem, nec arces tueri possent ac defendere. Cur igitur violatorem templi huius viui, arcis huius fortissimę deuastatorem, è numero hominũ eijciendum non statuemus? An licentiã perditissimi paricidę alemus, ad similiaq́ facinora edenda

ra edenda, vitam illi prorogãdo inſtruemus?
Res enim teſtatur ipſa, gigni in homicida,
niſi multetur morte, immoderatam peccandi
conſuetudinem, ac licentiam interficiendi.
Quotus quiſq; eſt enim qui pœna capitis e-
uitata, cęde vna fuerit contẽtus? Itaq; vt cœ
no porcos ſic iſtos trucidationibus ac malefi-
cijs omnis generis videas delectari: nec de re
alia quàm de carnificina ſermonem inſtitue-
re, nec voluptatẽ aliunde capere quàm ex ſan
guine. Tantam vim habet macula ex huma-
no ſanguine concepta vt nihil niſi immanem
quandam audaciam gignat ad ſcelus omne.
Haud ſcio an eadem culpa teneamur, qui ad
Reip. gubernacula ſedemus, quorũq; in ma-
nibus hęc res eſt, qua amentes & furioſi iſti.
Nam quid per Deum immortalem vult ſibi
vetus illud & protritum verbum, Facientes
et conſentientes ijſdem pœnis teneri ac legi-
bus? niſi forte putamus illos tantùm aſſen-
tiri ſceleri quorum ſeu conſilio ſeu opera ſit
confectum. Atqui & ratio dictat & magno
rum virorum conſenſus, eos quoq; culpę re-
os eſſe, qui cùm ſceleri occurrere poſſint, oc-
caſionem negligant rei bene gerendę: non ſe-
cus ac ſi vel iniuriam feciſſent ipſi, vel pręſto

fuiſſent opera conſilio ſtudioq; facienti. Si
authorem quęrimus eius rei, nullũ certe gra-
uiorem poſſumus habere, M. Cicerone: qui
non in ſcholis tantùm philoſophorum verſa-
tus ſit, ſed Romę, cùm quidem vrbs illa rerũ
orbis terrarum potita erat, ſummos magiſtra
tus magnificè geſſerit. Is in ſuis officijs reli-
quit ſcriptum ad hunc modum: QVI nõ de-
fendit nec obſiſtit ſi poteſt iniurię, tam eſt in
vitio quàm ſi parentes, aut amicos aut patriã
deſerat. Si verò rationem velitis habere ſen-
tentię noſtrę, eã quidem in promptu fuerit re
rum naturam contẽplanti. Quis in mari pro
fundo hominem ſeſe pręcipitantem atq; mer-
gentem, non ſeruans, ſeruare cùm poſſit: eiq;
in extremis laboranti ſubſidio venire negli-
gens, culpę exors erit? Quis viatori iter latro-
nibus obſeſſum ingreſſuro, inſidias pędicere
cùm poſſet, tamen non pędixit nec admonu
it, non immeritò ob id damnetur ſummę cru
delitatis ac impietatis? Quis cęco foueę atq;
lapſui proximo, dextram porrigere cùm poſ-
ſet atq; à lapſu abducere, occaſionem omittẽs,
ſeipſum ſuumq; animum à crimine vacuum
ſtatuet? neq; iam diſputo de eo qui feciſſet
maleficium vel alterum ſubmergendo, vel in

latrones tanquam casses artibus malis impel-
lendo, vel in foueam pręcipitando: quę vitia
etiã palpãdo ab omnibus cognoscũtur; Sed de
eo qui vel à fouea, vel ab aqua, vel à latro-
num manu vel aliqua prolapsione seruare
cùm posset opera aut consilio, opportuni-
tatem pretermittat rei pręclare gerendę:
Hos omnes quis non numero homicidarum
numerauerit? Profectò enim non nobis nati
sumus tantùm. Pręclara est vox illa Christi
seruatoris nostri, vt quod placeat nobis, alijs
quoq; faciamus. Cœtus hi & hęc domicilia
coniuncta, docent nos aliorum cõmodis ser-
uire debere: vt qui cum hominibus in vitę,
spiritus, & lucis cõmunitate viuamus, cum
illis etiam rerum omnium cõmunione iũga-
mur: earum pręsertim quas sine detrimento
nostro, magno aũt cum salutis illorum com
modo, tribuere possimus. Omnino enim nõ
de nihilo illud apd' veteres tritũ erat vetusta
te prouerbiũ, HOMINEM HOMINI
Deum. Diuina enim hęc sũt opera putanda,
cõsilium dare homini vel ignotissimo: opem
illi ferre in periculo; rebus subitis illius ac du
bijs adesse: iuuare aut opera aut consilio aut
re. Hęc qui homini in extrema necessitate nõ
faciat

faciat cum possit, an eum omni humanitate
exutũ non putabimus? an domicilijs nostris,
foro, congressu non excludemus? Cùm igit̃
nos qui Reip. hu' gubernacula tractamus,
simus eo loco cõstituti, vt subitis casibus, in-
terfectionibus ex summa licentia proficiscen
tibus, possimus (quantum in nobis est) supre
mo supplicio contrauenire, ne quęso desimus
officio nostro. Omnino cessatio hęc, infamiã
illam habet, delectari nos cędibus, qui graui-
orem nõ irrogemus multam: consentire nos
qui nõ damnemus capitis homicidas. nec cer-
tè eius culpę cuius rei sũt homicidę, possum'
ipsi esse insontes: siquidem eadem residet in
consentiente pœna quę in faciente. Quin
igitur facimus per Deum immortalem, vt
quemadmodum hanc Remp in cęteris parti
bus, quantum possumus, sustinemus cum di
gnitate: sic & huic medeamur parti quę ad
vitam cuiusq; pertinet tuendam. Non illud
censeo, quò homicidas è medio tolli aliquan-
do curemus: nobis enim vel non curantibus,
vel conniuentibus, id eueniat aliquando ne-
cessum est, Deo Opt. max. ita volente ac iu-
bente. Non sinit numen illud, quod hominẽ
ad suam imaginem effinxit, imaginem suam

impune

ímpune violari. cessent quantũuis magistra-
tus: euadant homicidę omnium hominũ su-
spiciones ac iudicia: impellentur tamen illi à
numine cœlesti in casses, vnde vitam expedi
re nõ possint. Veniet dies multę illius certan
dę, quę rerũ principio homicidis diuino ora-
culo dicta est, vt qui sanguinem hominis ef-
fudisset in terra, eius quoq; sanguis effunda-
tur. Illud igitur censeo vt quod iusto Dei iu
dicio certissimum est homicidis aliquãdo fo-
re, id nos anteuertamus decreto & iudicio no
stro: ne vel audaciam illorum, pœna capitali
differenda, corroboremus ad cędes alias: vel
paruifacere videamur hominum vitam, quã
pecunia soluere permittamus. Nam pręter ini
quitatem tantuli precij eadem illa multa illud
quoq; in se non minimi: sed haud scio an
maximi habet incõmodi, quòd cùm in vni-
uersum dicta sit omnibus qui maneant in
hac Rep. non tamen nisi à locupletibus pen-
di possit. Quid em̃ numerabit pauper, si cędẽ fe
cerit? Scilicet luet, vt vulgo iactatur, corpore
qui caret numis: subibitq;, q̃ soluẽdo nõ sit,
ferri crudelitatem, aut certè carceribus perpe-
tuis addicet. Diuites porrò quid interea? sol
uent quod lege pręceptum est; ac se in quos
illis

illis libitũ erit noua pecunia armabunt. Adeò
apud nos diti atq; pauperi leges impares esse?
Hanc verò legum inęqualitatem tantã quid
pepererit pręter pecunię abusum summum?
abusus porrò vnde natus quàm ex hac pecu-
niaria lege? qua sine modo grassari nobis fas
esse putemus in tot hominum vitas quot cen-
tena marcarum numerare possimus. Sed ex Odpowiedzy.
tota hac pecunię potentia magna, vnum il-
lud est admiratione dignum, quòd legibus
etiam apud nos sit cautum aut certè moribus
receptum, iure videri interfectum, cui cõmi-
nationibus sit prius, vt sibi caueat, pręd ictum.
Hinc verò non iam singulari certamine con-
curri: sed nõ raro vtrinq; exercitus cogi: hinc
expugnationes ędium: hinc & nocentum &
innocentum sine discrimine cędes: et quid nõ
mali inde? Hoc verò quid aliud est quàm le
gibus valere iussis vim regnare velle? At
enim in Rep. benè constituta, legibus solis lo
cum esse debere, ratio ipsa dictat: vim omnẽ
vel ab omnibus in externum hostem, cũ quo
nobis legum communitas nulla sit, conuertẽ
dam: vel ab solo magistratu in eos, qui legũ
iussis non sint obedientes, exerendam: priua-
tis verò inter se in vniuersum vi omni inter-

 dicendũ

dicendum:propterea leges latas esse vt omnes ex iure manum consertum,non ferro rem repetant. Cuperem mehercule eam mihi orationis facultatem dari;qua depingere & ob oculos omnium ponere queam turpitudinem tãtę licentię numorum: Sed quęso à vobis vt quod inopia orationis prestare non possum, vos ipsi cum mentibus vestris consideretis.

Quid per Deum immortalem turpius in hac Rep dici,cogitari,fingiue possit hoc pecunię abusu infinito? dum hominem interficere nõ veremur spe numorum: dum mortem cui libeat cunque & cõminatione predicere, & gladio tandem audemus offerre: dum nihil tam putamus sanctum quod non violare, nihil tã munitum quod regina pecunia non fas sit nobis expugnare. Tenuioribus verò non patere eam licentiam notum est:proponẽtibus sibi ob oculos capitalẽ pœnam,ad se haud dubie,inopia rei numarię,peruenturam. O imparẽ legum rationẽ inope constringendo & locuplete: quarum quidem seueritatem huic vi numorum perrumpere: illi vero, rerũ angustia,nullo modo liceat euitare. Cur verò odio tanto tenuiores prosequimur, eorumque vitam? an non & ipsi pars sunt generis hu-

mani? an solis diuitibus vsuram lucis huius à Deo datam putamus? Quòd si ex ęquo Deum vtrorumque authorem statuimus, cur non ęque consulimus vitę vtrorumque? Satis sit locupletes alijs rebus prestare paupertati: mors quidẽ scelere illata seu à paupere seu à diuitę ęquis legibus puniatur. Neque enim magis homicida est qui pauper occidit hominem atque diues: neque scelera ex ijs quę cuique aut concessit aut negauit fortuna ęstimanda sunt: sed ex re ipsa atque pessimo cuiusque affectu. Miserum hercle est fortunę arbitrio causę & fluxę & mutabili ea permittere,quę ab intellectu & ratione proficisci deberent.

Cur igitur lege in quam & diuites peccant & pauperes,cauetur de ea pœna quam non ex ęquo possint pẽdere diuites ac pauperes? quę ab inope repeti non possit nisi morte commutata: locupletes verò audatiores reddat ad paricidia multa? Neque enim ignoratis quod omnibus est notissimum, in tanta homicidarum licẽtia vix vnum esse numatum, qui homicidio semel admisso ad cędes alias non pręceps feratur: cùm interea cędes à paupere facta ita multetur vt cum vita,facultas ei eripiatur deinceps interficiendi. Nos verò si non

mouerent pericula tanta ad pœnam capitalẽ constituendam: timentes tamen iuuentuti nostrę, imò cuiuis ętati hominum ne serpat ad eos contagione quadam hoc malum, debere-mus sanè quamprimũ ex finibus naturę hu-manę homicidas omnes exterminare. Con-stituerunt veteres Romani, quorum tam late olim patebat potestas vt orbem terrarũ pro-pè fuerit complexa, àdmodum exquisitũ sup-plicium, quod superius dixi, in paricidas: vt illi ĩ culeum, viui quidem, cum cane, gallo, si-mia, & vipera coniecti in profluentem defer-rentur. Timebant homines magna pruden-tia prędìti, ne si paricidę aut feris obijcerentur aut alijs supplicijs afficerentur, inficerẽt aut fe ras cõtactu suo, aut aërem quo spiramus, aut alia quibus vita indiget nostra elementa. Ide-oq́ iusserunt paricidam in mare proijci: sed tamen ne inficeret aquam, corio obuolutum et obligatum. Illi igitur cùm & feris timerẽt et omnibus elementis, singulare excogitaue-runt supplicium: nos non timebimus iuuen-tuti nostrę quę ab hac maleficorũ peste nul-lo negocio infici possit? Nec enim minus ma lorum consuetudo officit iuuentuti atq́ pro-dest bonorum conuictus, imò verò in eam

ętatem

ętatem, quę singulariter procliuis sit ad omnẽ insolentiam, facilius quęque mala irrepunt quàm bona. Notus est uersiculus quem ci-tat diuus Paulus ex Poëta Gręco,

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Ac nos quidem id pluries quàm vellemus sumus experti. Multi enim exemplis inuita-ti aliorum, quibus impunè cessit hominem occidisse, aliorum capitibus insidias struere, eosq́ interficere non dubitarũt. Putãt enim iure fieri, quod fit aliorum exemplo. Adeò aũt id mali contagione sua animos occupa-uit multorum vt nihil iam magis tritum sit, nihil magis iactetur quàm illud, potius esse occidi aduersarium, quàm iure cum illo ex-periri. Nam occisum semel ac pecunia perso-lutum, nihil negocij alicui facessere: à litibus verò ferè non desinere litigatorem potentẽ. Hic igitur est, si dijs placet, fructus pœnę v-sitatę vt multi iam iure relicto, solam ad vim confugiant. Quę res quorsum tandem sit e-uasura non necesse habeo multa dicere. Illud saltem censeo prouidendum, ne nullus tan-dem vsus sit legum si quisque pecunia abuti sua in cuiusuis perniciem pergat: neuè licẽ-tia tanta pariat intollerandam rerum omniũ

E v confusio-

confusionem. Quid enim boni in ea Repu. diu poterit esse vbi nihil non possunt opes ad crudelitatē: inopia verò nihil omnino valeat ad misericordiā? idq́ in re cōmuni omnium, nam cui salus sua non ęque grata sit in rerum inopia atq́ alij in opibus summis? Cui vicissim mors non sit perinde extremum malorum in summa egestate ac alij in vitę splendore, rerumq́ abundantia? Quòd si nūc sistant se nobis qui ferro euecti vitā ante diem deseruerunt, causamq́ suā apud nos agere velint, non hac vtuntur oratiōe? Et viuis nobis displicuit semper Sigismunde Rex, vosq́ Remp. qui cum eo gubernatis Lex pecuniaria ista, quę pecuniosis hominibus causam dederit nos interficiendi: & nūc poenis inferni perpetuo addictis displicet magis, quippe cuius obtentu plęriq́ interfecti veniant ad nos: conspectu suo poenam nobis reddentes acerbiorem. Qua in re acerba sanè nobis est recordatio & negligētię vestrę, & temeritatis reclamātium, & auaricię eorū quibus bono fuit nos cęsos esse. Nec satis mirari possumus vsquequo tandē indormietis huic causę? quos ad fines licentiā hanc numorū dissolutam vagari permittetis? nihilúe vos

vos timor Dei qui potestatem puniēdi sontes ad vos transtulerit: nihil misericordia sanguinis nostri quotidie clamātis de terra: nihil miseriç cruciatusq́ in q̄s interfectores detruserunt nos: nihil amicorū lacrymę, qui cęde nostra in squalore adhuc versētur: nihil deniq́ hominum proborū hac sanguinis impunitate moerere non desinētium, suspiria crebra, mouere possūt? Non creditis deum, qui potestatem suam vobiscum cōmunicatam voluerit, puniturum hanc vestrā cessationem? Etēm vt causam vel dedissemus ipsi cur interficeremur, vel paricidarū furor sibi inuenisset: vos tamen qui Remp. hanc gubernatis potissimū rei estis cędis omniū nostrum: vt qui non capite sanxeritis hūanum caput: cùm quidem & Deus, & ratio, & gentes om̄es pręiuerīt vobis voce sua quomodo homicidas punire tis. Quis vestrum ó nostri occisores, mortis poena sibi proposita, ausus fuisset morte indigna aliquem nostrum trucidare, vtcunq́ victor uoti fuisset cōpos? Equidem si vitę vos non fuit pertęsum vestrę, nullomodo cōmisissetis vt priuaretis nos luce hac, cuius adhuc ipsi vsuram capitis: Sed cùm numati essetis, spemq́ minimè dubiam haberetis retinendi vitam

vitam veſtram,fortunam,honores,Rempu-
blicam,expleuiſtis ſanguine noſtro odium
veſtrum: maluiſtisq; pecunię iacturam fa-
cere quàm nobiſcum iure agere, noſq; inter
viuos facere. Vtinam aliquando vel modi-
cè tangant vos ò Rex & qui cum eo eſtis in
ſenatu miſerię & ſupplicia, in quę interfe-
ctores iſti detruſerunt nos imparatos, atq; à
pœnitentia vitę peruerſę alienos. Ad quam
quidem pœnitentiam redire nobis licuit dũ
vitales carpebamus auras;nunc è vita ſubla-
tis reditus eſt pręcluſus omnis. Sed quia mi
ſerię noſtrę à veſtris mortalium ſenſibus ꝓ
cul abſunt,ſtatuite vobis ſaltem quod pote-
ſtis ante oculos miſeras mortes quibus indi-
gniſſimè ſumus affecti:pars in itinere, alij in
penetralibus ędium,quidam inter pocula &
epulas ubi conciliationes amicitiarum fiunt
cruore reſperſimus menſam,nonnulli ad aras
ſummi Dei,quidã in lectis trucidati. A mor
te verò & in eam viam ingreſſi ſumus vnde
redire non liceat:& in eos cruciatus coniecti
qui diabolo & angelis illius parati ſunt ab
ęterno. Neq; verò pręſentes tantùm luimus
pœnas:creſcunt illę nobis quotidie hoſpitũ
nouorum acceſſione. Argumento vobis ſit
diues

diues ille epulo euangelicus qui pœnarum,
apud inferos cõmunione creſcentium, metu,
petebat Abrahamum, curaret ille ne quis
fratrum in ea loca veniret. Quin igitur mi-
ſeret vos noſtri? non putatis Deum à vobis
requiſiturum ſanguinem noſtrum,ob pœnã
minimè idoneam,atq; ob pecunię licentiam
effuſum:qui & Abelis iuſti de Caymo con-
tubernali noſtro requirebat, & cuiuſq; homi
nis de manu beſtiarũ requiſiturum ſe dixit?
Per Deum qui olim iudex in vos ſedebit &
in nos,per poteſtatem hanc à deo vobis con-
ceſſã, per cruciatus noſtros obſecramus vos
vt oculos aliquando aperiatis ad vindicandũ
ſanguinem noſtrum, ad homicidia reprimen
da: ne patiamini (quantum in vobis eſt) or-
cum nouis hoſpitibus, quorum communiõe
pœnę nobis creſcant,frequentari:ne afflictis
addatis afflictionem. Sin vos nec dei reſpe-
ctus mouet, nec miſerię noſtrę, facite veſtra
ipſorum cauſa: vt ne vos, pœnam noxę pa-
rem remittendo,obſtringatis ſcelere homici-
dij: neue olim in eas pœnas cõtrudamini q̃s
negligentię & torpori veſtro impendere no-
lite dubitare. Hęc quidem occiſorum oratio
eſt. Ego redeo ad meam,atq; vt vltima con-
texam

texam cum primis, omnino rerum naturam mihi diligenter contemplanti, eaq́ʒ de talione à prudentibus quę prodita sunt studiose multumq́ʒ volutanti, non aliò magis transferri posse videtur quàm ad homicidium puniendum. Nam quod Christus veteribus in more fuisse testatur, ut dentē redimerent dente, oculum oculo: & ipse deinde ad legē eandem alludens pronuntiet fore, vt qua mensura alijs mensi fuerimus, eadem alij remetiantur vobis, id quidem cur ad homicidium accommodare dubitamus? cur oculus oculo, dens dente pensatur: non autem capite caput? Nisi fortè dentis oculiq́ʒ amissio pluris nobis est quám capitis atq́ʒ vitę. Quòd si in foro & ad iudicem nemo alicui dicam scribere permittitur, ex qua quidem ad eum qui reus fiat infamia redundet, nisi primùm nexu se obliget ad periculum iudicij prestandum, atq́ʒ ad crimen vna cum pœna in se transferendū: quid tandem in eo foro putamus fieri oportere vbi non verbis nec legibus, sed ferro dimicatur, & gladijs: non fortunę impetuntur sed vita & salus: nō gladiatores illos nexu ꝑpetuo vinctos esse statuemus, supremoq́ʒ supplicio addictos? Audiui de homine quodam or-

dinis

dinis nostri atq́ʒ loci, non ita multis ante annis in conuentu Petricouię habito ad Senatum de hac ipsa lege relatum fuisse: Ibiq́ʒ cū sententijs variaretur, & alij homicidas recepta pœna, alij capitali afficiēdos censerēt: factū esse vt pars maior vicerit meliorē, pœnaq́ʒ vsitata sit conseruata: siquidē plures erāt qui pecunia potius vt olim quàm qui capite anquirendū censerent. Tum aūt rem narratione eorum qui in Senatu erant perlatam fuisse ad iuuenem quendam nobilissimum, in sūma familia natum, summaq́ʒ fortuna: Eum quidem qui per ętatem nondum veniret in senatum, sed esset tamen ad res maximas natus vel ingenij vel imperij vel virtutis. Eum itaq́ʒ iuuenem tum extra ordinem ita sentētiam dixisse vt censeret singulorum nominibus & qui pecunia & qui capitis anquirendum putarent, separatim conscriptis, legem promulgādam esse sententijs vtrorumq́ʒ congruentem: hoc est vt si quid capiti eorum accidisset, pecunia qui homicidium persolui cēserent, pecunia multaretur homicida: Sin eorum, qui capite caput redimendum vellent, capitis damnaretur qui interfecisset. Egregia verò & hoc iuuene digna sententia: quę de-

clarat

Hec magnificus d. Erasmus a kretkow Castellan⁹ Brestensis narrabat dixisse Serenissimū principem et oīm d. Sigismundū Augustū Regē polonie in conuentu petricouie anno christi: M. D. xxxviij. habito: cum qdez Rex annos fer me xvi. natus erat.

clarat illum, non tam prudentiâ duce, quę ab illa ętate ob rerum imperitiam eſt remotior, quàm ingenio & vi illa ingenita acumineq; ad ſecreta tum naturę tum legum penetraſſe: vidiſſeq; nihil hominum vitę conſeruandę magis appoſitum eſſe quàm ſi capite, caput penſetur: neq; facilius fore vt eorum in quibus huius rei poteſtas eſt ſita in vnum cõgruant ſententię, quàm ſi ſemel promulgetur, vniuſcuiuſq; capiti vel ſi per omnes ordines ſuffragia viritim ire oporteat, id quod in re tanti momemti, Senatu & equitibus inter ſe diſcordibus, fuerit neceſſe: vniuſcuiuſq;, inquam, capiti, pro ſententię quam dixiſſet ratione, legem eſſe ponendam. Profectò aut ego fallor, aut nemo ſanus eſſet qui caput ſuũ ipſius, pecunia ęſtimari vellet: ceſſarentq; cõtentiones partium magis quàm Reip. ſtudio à multis ſuſceptę. O Deus qui hanc Remp. ſeruas, ſerua nobis hunc iuuenem in patrias creſcentem artes. Da illi mentem cũ ad eas res tractandas, quibus tenere poſſit clauum imperij in tanto curſu ac fluctibus, tum ad voluntatem eius legis perferẽdę, quę & à viris prudentibus Rerump. firmamẽtum meritò putatur; et ab ipſo ante tot annos plus quã

pro

pro ętate talis iudicata eſt, in qua vigere in primis ęquum ſit Rhadamanti vetus verbum cum ita definit iuſtum,

Iuſta malis hęc admiſſo ꝓ crimĩe pœna ẽ
Si quę fecerunt, eadem patiantur & ipſi.

εἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Iam quod homines quidam docti, pœnã vſitatam defendentes, non ęſtimationem capitis, pecuniã: Sed pœnam ceſi hominis conſtitutam eſſe contendunt, argutè illi quidem & ad rem ſuam perquam appoſitè, ſi modò in hoc eſſent omnia. Verum cùm toties oſtenderimus pœnam ſceleri parẽ, ſi qua in re alia, certè homicidio puniendo eſſe debere: deinde ęquum eſſe in ea Repub. capitis damnari homicidas, vbi leuiora multò delicta, capite luantur: exiſtimo orationem illam inter ęſtimationem & pœnam diſcrimen conſtituentem, non tanti hîc eſſe vt aliquid momenti facere poſſit ad ſententiam noſtram infirmandam. Neq; verò metuendam nobis puto inconſtantię reprehenſionem legibus mutãdis: Quis eſt enim qui in rebus vel malis, vel parum conſultis laudandam in aliquo putet in vna ſententia perpetuam permanſionẽ? Quis ignorat in Repub. noſtra pro rerum temporumq; varietate, ſępius leges mutatas? Quis

deniq;

deniqꝫ tam peregrinus est in hac Rep. quin compertum habeat pœnam homicidij aliquoties mutatam esse & exacerbatam? Atheniensium ciuitas prudentissima, cùm videret legibus draconis, etiam leuia delicta, pœnis capitalibus puniri, indignum existimans hominem quamlibet leui causa vita priuari, abrogare illas nō dubitauit; eadem haud dubiè factura vt pœnam alicui delicto debitam, si res poscat, exacueret atqꝫ exacerbaret. Quid multa? Ego sanè si in ea Rep. essem vbi homines cum ad bonum procliues ac sponte currentes, tum verò ab omni facinore abhorrentes viderem: certe ibi aut nullas aut quam leuissimas pœnas, disciplinę causa, proponendas putarem. At in ea Rep. quis dubitet quin legibus & pœnis seuerioribus opus sit, vbi quotidie videmus in peius ruere omnia, ceu quadam peccātium conspiratione? Facessant igitur à nobis Stoica illa decreta quamlibet legum perpetuitatem sine discrimine comprobantia ad homines ociosos. Nobis certe qui in rebus gerendis, tanquam in acie versamur non sit indecorum vel mala bonis commutare, vel bona reddere meliora, vel pœnis seuerioribus castigare ac reprimere maliciam hominum

minum succrescentem. Ac ne illud quidem pertimescendum est, nos hac pœna famā crudelitatis subire oportere. Quę enim potest esse in peste ex finibus nostris propellēda crudelitas? Quis ouem morbidā de grege suo, quis membrum viciosum, contagionis prohibendę causa, resecans de corpore suo, arguitur crudelitatis? cuius quidem vitandę causa si ab homicida necando abstinendum sit, cur non etiam à fure suspendendo? nisi forte vel huius crimen maius est quàm illius, vel non eiusdem crudelitatis est fune cuius gladio vitam abrumpere. Ne igitur pestē hac tanquā ciuitatis struma execanda culpā crudelitatis suscipi putatote. Imò verò ita vobis vehemēter persuasum velim, magis nos in patriā crudeles esse, cùm vitam hominum parum iusta vindicamus pœna, quàm humanos atqꝫ lenes in homicidam, cùm vitam illi donamus cuius quidem homicidę gladius cùm semel scelere imbutus foret penetrauit scelus illud, remissione pœnę, ad animū & medullas ossium; fitqꝫ vt sceleratior sit multò homicida, quàm futurus erat si actutum è medio fuisset sublatus. Proinde Deus vt pestem hanc de finibus naturę humanę extirparet, nihil metuens

ens famam crudelitatis vno verbo edicere nõ dubitauit, vt qui sanguinem hominis effudisset, eius quoq; sanguis effundatur. Sed me in primis oratio cõmouet nationis equestris fortium virorum, à quibus sic nobis occurritur, quasi seueritate hac in homicidas exigenda vel in longitudinem parũ consulamus, vel exercitationem armorum omnino sublatam velimus. Quis, inquiunt, vel armorũ pręsidio instruet se, vel equos nobiliores alere nolet, si domesticę exercitationes istę, pœnę seueritate, prorsus auferentur? nec enim obscurũ esse, omnes fere pacis amantes, vtcunq; dites sint et auro opulenti: inopia tamen illos laborare tum equorum, tum armorum; contrà homines haud quidem magna cum re, sed tamen inimicitias exercentes, dum ob pœnę facilitatem iniurias vlcisci conantur, & ab equis egregijs & ab armis esse paratissimos. videas eos tanquam in excubijs perpetuo versari: nõ illos inire epulas, non vino indulgere, nõ stratis vti mollibus: sed tanquam in bello ad oĩa semper esse intentos: eat quis pręter ędes cursu incitatiore, pulset hostium insolentius, edat vocem paulò altiorem, extemplo eos ad omne momentũ esse paratos. Stat equus ad pu-

gnam

gnam sella instratus, eques ipse semper ocreatus, gladio & armis cinctus. Hęc vero exercitatio quantum ad bella proficiat facilè existimari posse si quis ad belli illius memoriã, quod ad Bucouiam à maioribus nostris cũ valachis gestum est, animũ conuerterit. Ante illud enim bellum quiete vsi erant diuturna maiores nostri: ac (vt fit rebus secũdis & trãquillis) luxui & voluptatibus sese dediderãt: armorumq; curam adeò abiecerant vt & galeis ad pullos educendos abuterentur, et reliqua arma in vomeres conflarent. Itaq; cũ et vacatione militię diuturna, & armorum inter se domesticorum intermissione, essent inepti ad bellum, adduxerant se & suam existimationem, multo patrum suorum sudore & sanguine collectam, in discrimen magnum, cedere enim coacti sunt ei hosti, qui semp patribus eorum cedere cogebatur. Quis igitur, inquiunt, non potius ferendam putet & hanc pœnam pecuniariam, & has denunciationes hostilitatis longo vsu apud nos receptas: quarum obtentu iuuentus se tanquam prolusionibus exerceat ad bella in hostem externum? non enim sinũt nos hęc pręlia domestica ocio torpere, non somno & voluptati operam da-

re:

re, assuefaciũt iuuentutem nostram ad laborem: docent equis & armis optimè vti, adoriri hostem, & cedere. vnde tandem fieri vt nõ veluti ex vmbris, sed ex magna exercitij schola in aciem, cum opus est, progrediãtur. Hęc ferè est oratio equitum. Quibus ne ansam relinquamus neue intercedendi sententię nostrę, neue militaris exercitationis ac vsus abijciendi, operępretium fuerit de moribus aliarũ nationum, quos vidi ipse & memorię mandaui, narrare. Neq; enim exteri populi, propterea quòd capite puniãt caput, putãdi sunt armorum curam, dum pace domi vtuntur, abiecisse: imò verò nulla tempora, quantũuis quieta, sinunt vacua esse ab ea exercitatione quę animos illorum instruat ad pręlia, et ad seriam armorum tractationem. Habent ciuitates singulę annis singulis certos & statos dies: quibus ex omni vicinia homines in vnum confluunt locum: seque magistratui, quisque pro virili parte, tanquam ad bellum ituri, cum equis & armis omnis generis recensendos sistunt: ludos instituunt: bellicis instrumentis varijs, non quidem ad vulnus sed ad speciem, certamina miscent. Pars dimicant gladijs: alij contento arcu in scopum

iaculantur

iaculantur: quidam balistarum bombardarumq; excussibus certant, nonnulli singulari certamine concurrunt hastis. Sunt qui tanquam prelium commissuri, manu vtrinque facta, acies instruant, inuicem congrediantur, & ipsas acies, pro re & loco, vel sistant vel conuertant. Interea seniores exercitum omnem lustrant: tabulas recensionis quotannis conficiunt: capita conferunt vel de ratione belli, vbi facto opus esset, gerendi, vel de sumptu sustinendo. nec desunt iunioribus exercitationes alię, quorum partim cursu, partim saltu certant, partim exercent membra palestris, partim hastarum coniectu ac missili telo. Plerịq; id faciunt sponsionibus factis nonnulli ad beneuolentiam inter se comparandam. Atq; ita & animos recreant, & hac exercitatiõe animosiores ad seria certamina redduntur. Hunc quidem modum exercitationis, quis non meritò laudet? cùm non fiat nec cum vitę humanę profusione, nec cum legis diuinę violatione: sed animos iuuentutis prępa ret, ne, si quando eundem sit in hostem, perhorrescant, vel armorum vel vulnerum vel sanguinis conspectu, fit enim nescio quomodo vt homines in vmbris educati, primo

ti, primo

ti,primo gladij aspectu,dum stringitur,dum micat, de statu animi subito deijciantur. Contrà verò quis Christianum se professus exercitationem istam apud nos receptam, et vitę mortalium inimicam, & diuinis iussis repugnantem,non velit extinctam ? Non est, Equites, non est vt aliquis vestrum speret ad pugnam & bellum animum fortem se allaturum ab impia ista exercitatione cum scelere coniuncta. Sequitur enim hominem ipsum scelus suum; conscientia maleficij pungit & mordet; accusat lex dei violata; mors terret; pœnę inferni impendent; vltio Dei omni ex parte instat. Deo vero infenso, qui sperare possis vel fortem animum in hostem vel fœlicem exitum pugnę tuę ? Velim mihi varijs casibus iactato, in acie sępe versato, credatis Equites, nihil in periculis adeundis animos meos vel erexisse magis quàm recordationem rerum cum virtute à me gestarũ, vel retardasse quàm si quid insolentius et pręter officium à me gestum meminissem. obuersabantur ob oculos meos ea quę temerè vnquam,turbulenter, aut contra officium fecissem dixissemùe. Eàque animo meo maiorem multo terrorem incutiebant quàm gladij omnes

dij omnes, & plurima mortis imago. Hęc ego expertus verissimè vobis narro Equites: quę haud dubiè plurimi vestrum sunt experti: et qui non estis in acie versati,olim experiemini. Quis igitur, nisi à Christi religione prorsus remotus,non pręferat exercitationem illam quam dixi exterarum gentium, huic nostrę quę cęde hominum constat & carnificina ? Grauiter sanè mihi quidem dixisse videtur diuus Paulus, cùm negat facienda esse mala vt bona eueniant. Itaq; vt rem facere nemini non licet labore benisq; artibus, non aũt furtis aut rapina: vt liberis operam dare omnibus permittitur, sed matrimonij thoro sancto, non aũt stupris aut adulterijs: Ita nequaquam animi ad aciem pręparandi sunt cędibus domesticis & carnificina, sed honesta potius & legitima exercitatione. Sed spero me iam satis fecisse Equitum quęstioni. Spero etiam de pœna capitali in homicidas constituenda satis à me dictum. Finem igitur faciam dicendi si addidero,illud quoq; ex Rep. esse vt pœna cõstituta,lege etiam caueatur de temporis,quo interficere homicidam liceat,ratione. cũ em̃ in causę cuiusq; cognitione, tum verò vbi Roma.3.

G de ca

de capite hominis agitur cauendum est à cœca properatione. fit enim persępe vt penes quem est potestas, ira aliáue subita animi perturbatione feratur pręceps quo non oporteat. Theodosius populi Rom. imperator lege rogatu diui Ambrosij lata edixit vt post mandata principis per triginta dies supplicia extrahantur. His si cui videbuntur iusti dies esse supplicio sumendo in eius sententiam facilè discessero: neq; tamen impedio quò minus vel pautiores sint vel plures, modò intra eos legitima cognitio sceleris fieri possit: vt ne pœna, ira ab homicida, aut alia peruersa cupiditate sed iusticia sola expetita esse videatur. Sed de hac temporis ratione, facilis spero erit consensus, modò concorditer de ea pœna dicamus ad quam & lex diuina consentit & Romana & multarum gentium. Illi igitur sententię à generosissimo iuuene olim extra ordinem dictę acclamandum prorsus censeo: homicidiumq; cogitatum ac sponte ab homine priuato commissum capitali noxę deinceps habendum. Ad eam rem cùm nos & officij nostri ratio, & populorũ desideria diuturna, & homicidia temporis pręteriti p numorum abusum cõmissa, et Reip.

In tripartita historia lib. 9. cap. 30 et C. tit de pœnis. L. Si uĩdicari

tranquil-

tranquillitas atq; salus, & ius atq; ęquitas cohortentur: deinde cùm periculorum magnitudo, & perditorum hominum in genus mortalium sine modo grassantium licentia summa cogat planè & compellat, quid tandem quęso excusationis possimus afferre, quãobrem sanguinarijs istis, sanguinario edicto non velimus (quoad eius fieri possit) ereptam licentiam hanc interficiendi? an quod res (quod vulgò dici audio) partim Senatus discordię, partim nobilitate dissentiente, facultatem minus habere possit? Ego verò in re tanti momenti subscribendum censeo sententię iuuenis illius, quam prius dixi, vt, nisi res aliter teneri possit, promulgetur omnium ordinum sententijs viritim rogatis, vniuscuiusq; capiti pro ratione sententię quam dixisset legem esse perferendam. Profectò neminem fore credo, qui mortalem cùm se recogitauerit, atq; adeò obnoxium neci expositũq; velit suum ipsius caput pecunia solui. Sed non dubito quin multis partibus plures sint, qui studio Reip. ea quidem in re, in qua salus hominum versetur, in sententiam nostrã sint ituri: vt deinde, vel sententijs numeratis, lex figatur & sanciatur secundum hanc

partem

pattem quę & numero pręstet & pondere. Quid enim seuerius conuenit punire vitam an res furtim ablatas? templorum Dei atq; regiarum violatores, an hominum ad Dei immortalis diuinitatem proxime accedentium, interfectores? Qđ si legibus Romanis conatus etiam hominem interficiendi argumentis certis depręhensus, capite plectatur, quam tandem putamus pœnam homicidę comparandam? Obsecrant id inopes vt cùm imparati sint à pecunia, ęquam secum perferant pœnam, ob scelus simile, homines numati. Optant probi omnes, ne tam vili salutem habeamus humanam, vt eam numis quã libet multis velimus venditam. Deniq; obsecrat Resp ipsa vt quam à maioribus nostris integram pulcherrimamq; recepimus, atq; ad hunc diem consilijs salubribus conseruauimus, eam in hoc flore hęredibus relinquamus nostris, licentia hac ex numorum abusu homicidarum compressa. Quem putamus vnum in plures homicidiorum pœnas suffecturum, si capite caput persoluatur? neminem profectò. Atqui pœna quę in vsu est conseruata sufficiet certe in tot homicidiorum pœnas quilibet, quot centena marca-

rum tiu-

rum numerare poterit: quotq; annos singulis homicidijs destinauerit. Quę igitur, malum, ista stulticia est, non eam persequi pœnam, quę persoluta semel, omnem in perpetuum auferat potestatem hominis occidendi: pręilla quę immaniores homines reddat, atq; ad cędes faciat audatiores? Confirmant hanc pœnam cœlestia oracula: confirmant multarum gentium mores ac consuetudines: comprobant ipsi exitus atq; exempla omnium ętatum, in homicidas diuinitus edita, cessante ab officio magistratu. Quę ipsa quidem talia sunt per se, vt etiam si nihil pręterea congrueret: Tamen ipsorum inter se con sensio summa grauissimum pręiudicij pondus & instar ad pœnam capitalem indicendam habere videatur: Cùm verò cum ipsis exemplis consentiant leges multorum populorum: nobisq; clarissima pręeant voce: an adhuc dubitamus quid sequamur? Addam illud, nescio quàm rectè sed tamen quia non raro accidit, addam, multos occisorum cognatos eiusmodi esse, vt cum indignum statuant ob sanguinis communionem, sanguinem propinqnorum suorum precio ęstimari, pror sus abhorreant à pœna pecuniaria ab homi-

 cidis repe

cidis repetenda. Itaqꝫ ceſſante magiſtratu à pœna capitali, gladio ipſi vlciſcuntur cędem ſuorum ſępeqꝫ manu coacta vtrinqꝫ concurrentes magnas edunt ſtrages, vnius hominis caput vlciſcendo. Hi an non hoc veluti pręiudicio, ſignificent quid velint conſtitui à magiſtratu? An igitur pecunijs tantum adhuc licentię permittemus, vt in homines dominentur? vt ſine modo graſſentur in eorum vitam? an iudicia hominum iamdiu pœnam flagitio parem expectantium contemnemus? an noſtra & populorum ſalute tegenda non mouebimur? an non tangemur magnitudine periculorum? an Reipu. laborantis querelas & obſecrationum procellas diutius feremus? Minime verò iſtuc quidē. Non id eſſet clementię Regis, qui pater patrię, totius inquam, patrię pater & ſit et nominetur: non authoritatis Senatus ad totius Reip. ſalutem conſtitutę: non ordinis equeſtris, qui cùm memoria virtutis auitę in Rep. polleant, non ſanè vel maioribus ſuis digni viderentur, vel ad hęredes veram nobilitatem tranſmitterent, ſi ad perdendum pecunia genus mortalium conſentirent: non deniqꝫ populorum religionem Chriſti pro-

fitentiũ,

fitentiũ, quos cum princeps ſuus ſanguine mercatus ſit ſuo, ex ęquo quidem omnes, an non indigniſſimum fuerit, mercem tam magno conſtantem tantillo ęſtimari? Quid igitur agimus Rex inclyte & vos Senatores clariſſimi? quid cunctamur Equites fortiſſimi & vos optimi viri omnium ordinum? non adhuc propulſamus pericula tanta? homines innocentes occiduntur: abſtrahuntur ferro viri ab vxoribus, parentes à filiorum complexu, filij à charitate parentum: planctu ac mœrore propinquorum non domus, non vię, non templa vacua ſunt: fœdantur ſanguine poſtes & foci: polluuntur itinera: comminationibus & cędibus inde ortis agri et totę prouincię refertę ſunt: leges conculcantur: vis regnat & pecunia. Quid igitur agimus? an homicidis locum adhuc relinquemus in Rep. noſtra atqꝫ in numero hominum? videte ne nullus tandem Reip. ſit locus, vbi tantę illorum licentię locus erit.

Curate vt dolorem quo animi hominum iā pridē ardēt, magis ſeueritate animaduerſiōis extinguamus, quàm ꝑpoſtera lenitate inflammemus: vt commemoratio nominis noſtri magis in amore & laude hominum verſetur

 quàm

quàm in mœrore & fletu. Prouidete ne te- nuiorum hominum lacrimę & gemitus ma- gis nobis irę diuinę seueritatem imprecentur quàm benignitatis illius clementiam. Ve- rum enim turpissimum nobis est non cogita- re quid preces supplicum valeant apud illum iudicem ad cuius tribunal breui nos sisti o- portet. A te ille ô Rex & à nobis, qui ad gu bernacula Reip. sedemus, reposcet rationem sanguinis per scelus effusi omnium populo- rum ditiōis nostrę. Nos sumus qui interfici- mus homines, qui parū iustè punimus inter fectores: qui tantam pecunię licentiam per- mittamus. Ac ne illud quidem in nobis est vt respectū aliquē habeamus vel adolescentis huius nobilissimi cui sceptra regni cōmisim⁹ summo ordinū cōsensu: vel minorū nr̄orum quos in locis nr̄is cōsiliarios illi relinquem⁹. Quid enim putatis illos, cùm Rempub. te- nebunt iudicaturos de pœna ista vsitata? no lite putare vt imitentur hanc nostram numa tionem. Quò enim sermones isti, pœnam receptam eleuantes, qui iam vulgo habentur ab illis? quibus certè iuuenis ille studio pœ- nę seuerioris pręcurisse putandus est. Erū- pent tandem, credite mihi, quę nūc latent il- lorum

lorum sententię, in actum: consotiabunt se cū principe illa voce: legem in ęs incidēt à nobis neglectam: statuent pœnam scelere dignam: salutem populorum melius tuebūtur. In sum ma, illas nobis à minoribus nr̄is tacitè (cùm liberè loqui non audent) conditiones ferri pu tamus, vt aut illorum sententiā preuertamus, dum rerum potimur, edicto nostro: aut certè ipsi, dum potestatem habebunt notam sum- mę negligentię ac officij deserti in hominum cęde vindicāda manibus ac cineribus nostris inurent, pœna capitali surrogata. Nunc po testas nr̄a est vtram velim⁹ vt accipiamus cō ditionē. Ego qdē laboribus infinitis & itine rū, & belloū, & negotiorū, vt scitis, cū pluri- bus cōiunctorum, fractus: corpore ac viribus defectus: videre mihi videor diem iam iam aduentantem quo mihi sit ex hac vita migrā dum, itaq; gaudeo occasionem nunc mihi da tam de hac lege loquendi: vt priusquàm im perator ille summus Deus de hac vitę et Reip. statione me discedere iusserit, declaratū apud vos, remq; istam publicam voce mea, ac te- statum relinquam quid senserim: qui de tuen da hominum vita sensus meus & status fu- erit: quod meum studium, quę voluntas. De

 qua vo

qua voluntate mea & Rep. gesta video mihi paucis diebus rationē dandā ante terribile illud tribunal iudicis summi. Vos videritis, qd, eò cùm eritis cittati, possitis, pro se quisq; respondere. Sed iā fessus sum dicēdo. vtinā verò nō frustra sit hoc à me factum. Sic igitur breui habete, si fecerimus concorditer, quę dixi de homicidis è medio tollendis, & Deus opt. max. augebit Rempub. nostram, ornabitq;, in qua scilicet tanti fuerit imago illius quanti meritò fieri debet: & animos populorum nostrorū sic nobis hac re conciliabimus ad beneuolentiam vt qua maxime: & pace domi constituta paratiores erimus aduersus externum hostem: & hanc Remp. trademus florentem hęredibus filijsq; nostris: & cùm dies ille supremus vnicuilibet nostrum illucescet gaudebimus pręclaro hoc facinore, atq; Rep. rectè & ex Dei sententia administrata.

DIXI.

NOBILI ET GENEROSO PVERO ADALBERTO Lascio Rithuanij & Casijsori domino, Hieronymi Siradię Palatini viri illustris filio, Andreas Fricius S. D.

QVI veniunt ad nos abs te, Adalberte Lasci, pędicare solēt magna cū voluptate nostra indolem tuam & studia recta in quibus diligenter verseris. Quod & si nobis, qui te & mores tuos olim cognouimus nouum non est: iucunda tamen nobis est cō memoratio tui: quē heros ille Hieronymus Lascius vir omni re magnus hanc vitam deserens, viuam animi et corporis sui imaginē, nobis reliquit. Cuius quidem viri patris tui, cùm in hoc libro attigerimus virtutes quasdam, voluimus eum mittere ad te, vt illud tibi ob oculos sępe ponas insistēdum tibi esse vestigijs paternis si hęres illius & esse velis & verè videri. Non enim ad otium natus erat pater tuus: sed ad opera virtutis ardua, operosa, & pręclara. Quibus quidem certe tractandis

tractandis & efficiendis aptus non erat futurus, nisi à primis tẽporibus ętatis ijs artibus studuisset, quibus ad virtutem fingeretur. Quamobrem & tibi Adalberte incumbendum est exemplo patris ad studia literarum: quibus hęc ętas tua ad humanitatem informetur & honestatem. Sed habes domi tuę formatorem morum & studiorum tuorum virum doctum: quem nõ dubito tibi ea proponere quę olim profutura sint ad omnem vitam. Tametsi autem nunquam occasio data erat patri tuo de lege homicidij dicendi in Senatu: Tamen si qñ res tulisset, non dubiũ est, pœnam quam scripsi suasurum fuisse. Audita enim mihi est illa tanquam cygnea vox clarissimi viri prius quã ex hoc mundo migrasset. Habes Adalberte in hoc libello nostro quędam quibus teneram ętatem tuã imbui non fuerit inutile: Quę poterit magister tuus, vt commodũ illi fuerit visũ, tibi proponere & commonstrare. Erit autem gratitudinis tuę et libellum hunc in bibliothecam tuam recipere,/& authorem eius eo in numero habere quo decet familiares parentum haberi à filijs bonis, hęredibus non tantùm nominis

minis & possessionum, sed & virtutum paternarum & rectè factorum. Dñs gubernet istam ętatem tuam, ijsq; rebus imbuat, quibus olim & Reipub. vsui esse, & in munera patris tui crescere possis. Vale. Calẽdis Februarijs. M.D. XLIII.



Cracouię per Hieronymum Vietorem: Anno Domini. M.D. XLIII.



ERRATA SIC EMENDA

Quaternio.	Fol.	Facie.	Versu.	
✠	4	1	26	re uolui
A	1	2	20	exa̓tatos
	3	1	2	Regis
	4	2	10	tribuo
C	2	2	2	constitutā. Soli ho
	4	1	ult.	exemplar Dei
	5	1	16	inadunt
			18	persoluendo. Sit
E	3	2	12	spe, pro fiducia
	4	1	8	occidit
	5	1	15	occidi
		2	10	enecti
			12	utantur
	6	2	5	facere, lege, ferre
	7	1	15	strum, & ad homi
F	2	1	ult.	naturæ
	2	2	10	nolet, lege, uolet
	3	1	5	Bucouinam
			13	armorum
	4	1	25	cōspectu. Fit
		2	14	uerò

Cætera facilè, si quæ erunt, per te emendabis.

